


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
14 A
15



ALCALI & ACIDUM.

adornante

Bernhardo Swalve

Med: Pract:



Amstelodami,

Apud Ioannem Ianſsonium a Waeſberge

et Hæredes Elizæi Weyerſtraet

ALCALI ET ACIDUM,

Sive

NATURÆ ET ARTIS INSTRUMENTA PUGILICA,

Per

Neochmum & Palæphatum hinc inde ventilata,

Et

Praxi Medicæ ſuperſtructæ præmiſſa.


ADORNANTE
BERNHARDO SWALVE,
Med. D. & Collegii Friſiorum Maritimi, Civitatiſque Harlinganæ Ordinario.





AMSTELODAMI,
Apud *Iohannem Ianſſonium à Waesberge*,
& Hæredes *Elizei Weyerſtraet*.

ANNO M. DC. LXX.





Nobili & Illustri,

Amplissimo, Consultissimoque

VIRO,


D^N. CORNELIO DE WITTE,

Ruwardo, Supremoque Præfecto Aggerum Territorii Puttensis, Balivo Beyerlandiæ, Civit. ac Reip. Dordracenæ CONSULI,

Illustriss. ac Præpotent. Ordinum pluries DEPUTATO,

Athenæi LUGDUNO-BATAVI CURATORI &c. &c.

Commentum hocce ex voto, moreque litatum, sacratumque esto.



Nob. & Illustr.
Ampliss. & Consultiss. Vir,

IMMANET & recurrit auribus audita semel alicujus Symphoniæ jucunditas. Etiam eminus, & valdè procul conspecta olim Pharus animum, lucemque indidisse fertur Nautis. Serena illa frons, & expli-

explicatus animus, quibus susceptus anteà è manu Spectatiss. Residis p.m. Leonis ab Aitzema Tractatus quidam meus, hujus nunc nuncupandi mihi incitabulum. Temeritati ne operer, neu ingratiis litem, intercedit Humanitas, quæ inter Virtutes stylo ac voce omni augustiores adeò lucet, ac splendet. Umbraculi loco est condignum nihil fastigio tanto ferenti, quod sub ingenti Nego-

tiorum publicorum mole Musæ etiam liberiores in secretum admittantur. Extraneus autem, & ignotus aliàs ad illius Nominis cultum divertor, cujus Magnitudo nullis terræ finibus hæret. Transiit utique illud terras ac maria, semper in Annalibus victurum. Transiit, velut Augusti Patriæ Patris, cujus prudentiæ militavit æther, & tellus ab orbe divisa felicem loquuta successum. Hunc


equidem, quem præterita vix vidit ætas, ventura vix credet, noſtra miratur. Nominis ergò illius magnitudini qualecumque hoc devoti cultus ſpecimen litare debuit. Debuit, quandoquidem illi ſufficit non tam promeruiſſe inſpectum, quam aucupare voluiſſe. Quin invenit, quod ambit, modò conteſtari ipſi liceat. Ter Opt. Max. Deus incolumitatem Patriæ

bono perennare velit, præſtet, quod vovet

Illuſtr. Tui Nominis

Cultor devotiſſimus

BERNHARDUS SWALVE.



PRÆMISSUM
Candido, & Benevolo Lectori
ALLOQUIUM.

Cripserat Tragœdiam Ajacis Augustus olim Cæsar, sed incepto displicente aboleverat. Roganti autem Amico, quid ageret Ajax? respondebat, in spongiam incubuit. Memoria hujus joci peraptè forsitan frontispicium tumultuosi quasi dramatis exornaverit. Vix enim causæ quicquam, quominus & hic Ajax noster in spongiam incubuerit.

Ad Lectorem.

Tam audacter lubricis inhæret vestigiis, & pedes non juxtà nutus vulgares, sed extrà tritam semitam transponit. Nimis certè temerariè tentaret famæ publicæ vadum in fastidioso, & delicatioris palati seculo, nisi ab aliis tentatum foret. Xeuxis non pinxerat olim populare quid, quum Hippocentauram gemellos alentem. Tabula tamen argumenti novitate erat ita amabilis, ut despectui foret artificio illius. Involvi hinc eam jussit Pictor, & ab oculis admirantium removeri. Num autem paria fecerit hæc nostra velitatio inter duos instituta Personatos, de duobus in Naturâ &

râ & Arte Pugilibus? Num præfractus ille Zeli obtentus miri, aut ævo digni quicquam tulerit? Insignis quasi Thesei, ac Pirithoi audacia, tentantium Proserpinam à Dite ad inferos raptam, sed absque Ramo illo aureo, nunc in publico Favonium sperare possit? Exponi certè, non tolli debuerat Fætus ex vario coitu, & diversorum commissurâ singularis. Nec enim succedit semper Heracleotis exemplum, qui conspecta in quinque Virginibus Crotoniatibus insignia in suam transtulit Helenæ picturam. Et quid juvant intonsi Apollinis crines; Venerisve compti, ubi sine Cerebro Prometheus?

metheus? suspectâ adulatione vilescit etiam genuinus color. Nihilominus jacta & hæc in publicum alea est. Diversis modò exerceat cogitatibus Æsculapii progeniem hic prodromus. Si non ducere possit, saltem oblectet Apollinis Chorum. Etiam superciliosus quisque animum in quendam quasi ludum mittere amat: & severitas Musarum suas invenit delitias. Obtutus ab Amasiis concessus hisce nec improficuus erit. Impensum opellæ, & temporis non adeò deperditum. Sin sublimiora, ac luce digniora doctior premat pollex, submittant hæc talia fasces, oportet. Penetrare quæ

non

non licuit, saltem libavimus. Sint indicta, quæ eruditiores non ferunt oculos. Trutina in eam vergat partem, in quâ plus ponderis. Neque enim passim, neque omnibus, neque omnia; vetus habet proverbium. Omnia interim contentionis plena non simplici narrationis specie, sed in pugnam crudescente sermonis genere relata sunt. Quæri sic Veritatem, non involvi, lædi, aut deperdi monstratum. Funestum equidem huic noluimus dissidium. exiguo fomite exitium illius non spectavimus. Namque detestabile luctamen est, ubi illa instar Penthei discerpitur. Abomina-

ominabilis Rivalium amplexus, cujus violentiâ instar Virginis apud Plutarchum animam exspirat. Per fenestram proindè nos saltem rixosè apertam invisimus, quatenus in curam, tutelamque ejus incumbendum. Cælo sereno, tranquilloque mari minor de Palinuro cura est. Verum procellosis iisdem clave periti quæruntur, optati, gratique sunt. Ut surgant illi ulterius, omnia hujus velitationis momenta exigunt. hinc in hæc adyta irruptum. Incomprehensarum & abstrusarum rerum immensam esse multitudinem, ac multò majorem, quam quæ vulgò percipi

cipi possit, Fernelius in abditis suis vidit. Excursus temporum ab illius ætate ulteriorum docuit id luculentius: docuit, quæ nec antè ingenio ullo, nec industriâ ullâ apprehensa. Monstravit Anatomicos & Chymicos Fontes, ex quibus perampla derivanda flumina. Nullis autem carceribus, nullis angustiis determinandam Naturam. Hinc nec omnem Vetustati deferendam cognitionem, nec primam detrahendam: de possessione eam omni non deturbandam, nec in omnem revocandam. Id quod curriculum versamus; eam terimus orbitam, & facem ventilamus.

tilamus. Quin intercedente hôc nubilo, carcer tenebricosus cum perspicuâ luce melius permutabitur. Scilicet ubi stagnum est turbatum, capiuntur expeditius anguillæ. ubi luxuria frondium falce amputata, melius est fructibus. Dividamur nunc licet opinionum scemate, & in violentiam quandam abripiamur, ex arbitrantium diversitate diversa succrescunt Arti emolumenta. Non flamma melius nutritur, quam favillæ mole frigidâ. Quin pergendum ergò in suscepto anquirendi penso. Nec irritus tandem erit, nec supervacuus conatus irenicus omnis. Nimi-

rum

rum istam affectamus ripam, à quâ fluctus omnes dissiliant fracti. Dissipatis dissensionum nebulis, Solem Veritatis serenum exspectamus, in quo, velut Palladio securitatis apricari nobis liceat. Tum alienis non perdemur exemplis, statutisve: tum non versabit nos traditus per manus error; nec dente, nec pugnâ dignabimur adversantia, quæ infrà iræ majestatem. Nunc verò averti nequeunt opinionum divortia, aut benè dirimi omnia litigia, ideò fruendum saltem illis, quæ indulta. Nec quæ ex occultis subnascitur contentio aversanda, nec lux respuenda, quæ cum umbrâ com-

comparet. Natura dædala detinet animos, oculosque speculantium; verùm paulatim instar agri exculta redditur feracior, instar arboris insita feris abstinet fructibus, instar montis ardua minus est insurgentibus. Quis nuces illius linquat, etsi cortice duro dentes vexent? Quis margaritis abstineat, licet asperâ tegantur conchâ? Triste sanè nullius supercilium mereatur, quicquid in ejus gratiam expenditur. Noster huic soli destinatus labor vel isthâc satis ratione proderit, sin meliora in ejus contemplationem excitaverit ingenia. Qui præstant Cytharâ, & vix cantant

tant rogati, forſitan ab auditu ineptè canentis ſuſcitabuntur, ut melius canant. Quin id vovere jam cauſa noſtra ſit, uſquedum feramur in ulteriora. Tu intereà temporis, Candide ac Benevole Lector explicato favore ſalve, ac vale plurimum. Dabam è Muſæo Harlingæ Friſiorum Anno CIↃ IↃ CLXIX. *Pridiè Nonarum Decembr.*

Inveniat quod quiſque velit, non omnibus unum eſt
Quod placet. hic ſpinas colligit, ille roſas.

OWEN.



ALCALI, & ACIDUM:

Naturæ, & Artis Inftrumenta Pugilica.

PALÆPH.


Alvum quod te reducem video, & novum in Arte Myftam, lacte nutritum Hippocratico, & Galenicis imbutum alimentis gaudeo.

NEOCHM.

Obvius quod nunc mihi bonis avibus, cujus congreffum tam ardenter exoptavi, non fine omine eft. Quid verò lac Hippocraticum, & Galenica fomnias alimenta? Peregrinas has umbras non exofculor amplius. Nucum putamina, & folia farfari jamdudum abjeci, quibus puer lufi.

Nondum cælo venientibus aftris

desuper in terram nox fundebatur. Sole jam surrecto, disparuere nubes obstaculum ponentes. Sic volvitur cælum : Sic volvuntur dies, menses, anni. Nec Aër, nec Homo suam servat perpetuam figuram, dum à puero in Senem abit.

Vetusta Authoritas suâ caligine mentem non obsidet amplius meam, ut fumosam solet imaginem. Emersit è puteo Veritas, cui assurgo, cui vexillum erigo.

PALÆPH.

Ehem! quid narras? Ergò & tua à novitate illusa mens est?

NEOCHM.

Illusam nescio mentem, & *Pallade* sat propitiâ dego. Pendent mihi à firmiore clavo, quam quem tu fixum forsan censes. Non hæreo nutabundus in bivio *Herculis*. Sin tu *Myrmillonem* acturus, en tuum *Retiarium*. Tam solidis innitor, ut nec *Herculem* timeam.

PALÆPH.

Quin cominus ergò. Monstra, quid monstri alas. Sin tamen sine obstetrice *Ratione* quicquam pepereris, infelicem hunc partum tuum obtrun-

obtruncatum iri ſcias. Quas volitare muſcas circa lucernam videro, captabo: has enim quamplurimas, vel ſine *Tireſiâ*, aut *Calchante* prævideo, quoniam ſtatio à te vetus deſerta eſt.

NEOCHM.

Quid muſcarum mihi memoras? quam deſertam culpas ſtationem? Veſtigia Famigeratiſſimorum hujus ævi meliora inveni. Experimentis Anatomicis & Chymicis res adeò illuſtrata & renovata Medica eſt, ut jam parum ſit evolvere ſaltem libros, & alienis inhærere, aut impalleſcere ſcriptis, placitisve.

Sunt complures *Angli*, *Belgæ*, *Germani*, *Galli*, *Itali*, aliique, quibus ſtultus ille labor ineptiarum ſordet. His turpe ducitur, ejuſmodi amplius conſectari nugas. Quin diſplicet ineptiis verborum irretiri, & poſt mediam noctem obindè cænæ rationem inire.

Itaque & Celeberrima *Europæ Athenæa* tralatitiis Veterum commentis ſapere dedignantur. Nec agnoſcuntur ullibi amplius ſummi Controverſiarum judices aut *Hippocrates*, aut *Galenus*. apodictica eorum

authoritas ad ecclypsin declinavit. Sapientior *Æsculapii* proles abstergit spongiâ, quod hodiernis inventis non est congruum, & promptiori manu, opereque Naturam rerum colit.

PALÆPH.

Defendit vetustatem, adeò ut nova additamenta non rejiciat. Hippocratem, Galenumque suis laudibus dignos judicat.

Noli velut *Davus* alter *Terentianus* omnia mox initiò turbare, quasi nimirum è libro Naturæ non sua quoque hauserint Veteres.

Falleris, omnes *Medicinæ* hodiernæ Antistites inauditis cerebri fæturis scatere. Sunt, quibus nova opinionum phantasmata tædio: sunt, quibus præ innovandi rabie cæcis, & insensatis esse non libet. pauci in mysticis hodiernis acquiescunt. plerique mutuis passim vulneribus confossi cadunt, quibus *Medicinam* veterem funditus subruere lubido. horum tu forsan Cerebrum crepuisse, velut olim *Jovis*, audivisti: his *Palladem* tuam noviter exclusam fortè debes.

Quan-

Quantò satius aures præbuisses illis, qui *Medicinæ* quidem pomæria extendere, & novis undique inventis eam augmentare strenuè allaborant, non verò penitus subvertere, aut inauspicatò inservire *Pyrotechniæ*.

Non equidem diffiteor rudes *Artis Medicæ* natalitias: nec *Æsculapium*, nec *Apollinem* cælitus delapsos æstimo, licet cælestes fingantur. Cæpit paulatim Experientiâ *Medicina*: crevit industria humanâ. Crevit Vaticiniis, insomniis nonnunquam, divinationibus, casibus variis. etiam animalium quorundam salubria fuêre documenta.

Nec enim unius ævi, sed complurium est *Medica*. illustria cæpit incrementa, & sua quoque passa est decrementa. Dies sic diem docuit. nec uno vel altero partu effæta mansit *Natura*.

Subvênit autem opportunè Philiatris aphoristicâ brevitate, & rerum ingentium fasciculo *Hippocrates*. sparsa & ἄτακτα ille rudimenta collegit, polivit, interstinxit, exiguo videlicet verborum ambitu plurima complexus. splendorem sanè

primus *Arti* conciliavit. verè φωστὴρ Veterum, ſuum, & quoque noſtrum illuminans orbem.

Hunc ergò quod coluerit Medica poſteritas, non eſt mirum. *Cnidios, Rhodios, Coos* taceo. nullus ad hunc diem Myſta pragmaticus verus eum averſandum judicavit. ne ipſimet quidem *Paracelſiſtæ* eum abhorrent. huic ergò, ùt ſuo *Phæbo* fert acceptum *Medica*, quod ſuis pulchrè conſtet ad hodiernum uſque diem numeris.

Fruſtrà nunc *Nymphæ* cum *Satyris*, & *Faunus Pani* jungitur, ut oſtraciſmo ille puniatur. Fuerit ejus ſeculo *Medica* embryonis inſtar à Divino ſene velut recens concepta: fuerit rudi membrorum confuſa adumbratione, & velut urſi partus informis.

Galenus & aſſeclæ ejus Hippocraticæ majeſtatis ſtrenui aſſertores lambendo eam perfectiorem reddidêre. Quin etſi ſexcentis fermè annis ſepulta fuerit, reſuſcitata tamen poſtmodum. Sanè haud alii *Galeno* ſimiles in aream proſiliêre *Medicam*: nec omnes adeò poſteri digni,

gni, cum quibus in tenebris mices.

Principum horum placitis non cadit, vel ſtat *Medica*, ita ut præjuditium ulterioribus procreent additamentis. Acceptius tamen eſt, quaſi firmiori talo ſtaret, quicquid teſtimonio, vel juditio illorum comprobatum.

Nec ideò abſolutiſſima *rei Medicæ* peritia ipſis conſignatur. incremento enim quotidiano gaudet *Ars*; & neglecta, aut prætervisa Majorum ſupplet, aut corrigit meritò poſterorum ſagacitas.

Quis tamen exinde de ponte dejiciendam cenſeret omnem *Vetuſtatem?* potius pura ejus eruenda facies reſtat, deterſâ omni rubigine: potius pædor, pulviſque omnis extricandus, ut ſplendor emicet, priſtinuſque vigor.

Sileo interim *Mauritanos*, & *Arabes*, ſileo alios: nec diſputo num omnes ſuæ ſegetis meſſem proficuè intulerint in horreum Medicum. Hoc ſcio permultos benigniorum ſupellectile *Medicam* ditaſſe, & eleganti varietate diſtinxiſſe Pharma-

est *Spigelio*, alienis æquè ac propriis fruendum adminiculis.

Deindè quam jucundum est arcana hujusmodi mysteria sibi ab aliis inspicere elucidata? Ne *Empirici* quidem sine exemplis procedunt. Quin *Paracelsi* asseclæ, licet philosophi se reales æstiment, quum nôrint parare duo paria Oleorum, quatuor Salium, quinque Magisteriorum, gaudent tamen *Hermete* suo in scenam protracto, & sibi gratam sub illius umbrâ faciunt imposturam, referente *Hoffmanno*.

Quasi verò peponum saltem capita fuerint Veteres, ut qui tuo juditio ante hunc diem nec exta consuluerint, nec Medicinam ritè fecerint. Sin circulum ignorârint Sanguinis, sin Chyli aut Lymphæ vias; sin plura illis invisa reliquerit *Eleusine*, quæ nostri docuêre dies, quid tum postea? Non tanti omnia sunt, ut prætoriâ illos authoritate proscribere obinde debeamus.

Eja age, modò vel semunciam pristini retinueris candoris, perpende quantillum sit, quod inventis prioribus hoc vel præcedenti ævo

sit

ſit ſuperadditum. & inventorum nonne pleraque exornant potius Medicam, quam juvant? Quis autem Inventorum, niſi maturato per antiquitatem juditio ad inventionis laudem quâdam ſorte pervenit?

Nec enim aliorum, quam Deorum, aut diis ſimilium eſt, intima in ſacraria admitti. Ea Naturæ majeſtas, amplitudoque, ut non à quovis, nec unâ deglutiatur offâ.

Quamobrem fruſtrà *Hippocratem*, fruſtrà *Galenum*, alioſque ſequaces atro carbone notas. Seculo imputanda ſaltem, quæ ignorârunt. Pereat, exclamat *Valleſius*, qui *Hippocratis* oracula perſtrinxerit. Fidis antiquitatis machaonicæ interpretibus præmia ſua pro laboribus, noctibuſque toties vigilatis maneant. divinis horum manibus ſua laudum thura accendamus. quod meram ſapit novitatem,

—— id populus curet, qui ſtultus honores,
Sæpe dat indignis, & famæ ſervit ineptus.

NEQ-

NEOCHM.

Pergit rejicere Majorum ſcripta.

Eam ſaltem hactenus Artis noſtræ miſeriam agnoſce, quod veritatem non ubivis explicet ſervare fidem neſciat, per arcana naturalia liberè non decurrat. *Græciam* & *Latium* percurre: devolutam per *Arabiam* caliginem revolve: ipſum *Avicennam*, qui omnia abliguriiſſe dictus, nec quicquam reliquiſſe poſteris, excute. Nonne ubivis exilium quaſi *Artis* funeſtum, & calamitoſum?

Jam illotum ſermonis genus, quo irrupêre *Medicam Tarantanus*, *Gordonius*, *Turriſanus*, *Sylvaticus*, aliique. quin & tenebricoſos expoſitores, Speculatores, Conciliatores, quos projecêre ſecula: hinc incultam, fædam, barbaram, mancam *Medicinam:* nec non triſtem *Artis* hyemem ſub *Forolivienſi*, *Hugone Senenſi*, *Marſilio de ſancta Sophia*, aliiſque.

Omnium horum Scrutatorum mirificas tenebras quis non nauſeet, horreat? Addo poſterorum compilationes, exſcriptiones; ſin con-

ſulas,

ſulas, quid efferſ, quid exhauris, ni ſomnia mera, niſi umbras? Quinimò in hæc uſque tempora nonniſi tranſiliri nodos veros, ac novos inutiles ubivis necti videas.

Premant ergò omnium veſtigia, qui volent. Meus venter non ſaturatur odoribus, licet in ſpecu ſim, ubi vel thura venduntur, vel Siculus habitat coquus, *ut ait ille*. Quid enim libris ejuſmodi expiſcarer? meraſne vocum argutias? hujuſmodi delitiis non commoveor. Cancros comedere, circa cruſtas & teſtas occupari, parum autem cibi invenire cui lubet, licet.

Blattis ego, tineiſque commiſi ingentia veterum volumina, quæ me ſolum diſtrahere poſſent à ſolidioribus. Cum *Helmondtio* meo libros abjeci, & ad experimenta è libro naturæ depromenda me auſpicatius converti.

PALÆPH.

Ob ſeculorum vitia non fugiendos quoſvis vult Authores: Electionem poſſe inſtitui: Helmondtium quoque quam plurimis ſcatere vitiis.

Eja age jucundum quoque principi-

ctitudinis induta prodiêre. Sanè perquam futilia cum utilibus miſta paſſim plurima: vel ſuo id indoluit ſeculo *Scaliger*, dum exclamat:

Multæ paſſim nugæ, multa temeritas,
Multæ ineptiæ, inter quas & noſtræ.

NEOCHM.

Vetuſtatem rejicit; experimenta Recentiorum ſola crepat.

Ineptiis itaque accenſenda Experimenta naturæ & artis, quibus apertè vetuſtas falſimoniæ convincitur? Quanto ſatius inepta veterum beneplacita penitus abdicantur, & ex animis omnium delentur? Quot enim erronea ſub velo *Hippocratis*, *Galenique* proſtitêre hactenus? quam non impoſuêre veritati nubem? nequidem Scriptis ſuiſmet extremam impoſuêre manum. plurima eorum diſcipulis ſuum debent genium. ipſo ſæpiſſimè ſuo lumine inferunt caliginem. Hui! quoties vix oleum in lucernâ eorum, vix druppam, ſanſamve deprehendas.

Numnam ergò tolerandi væcordes pedarii, qui omnibus noviter inventis contorquent eorum verba?

qui tam emancipati, ut nullum poſt *Hippocratem* ſciviſſe quid magni, quod ipſe ignoraverit, referunt? qui adeò idololatræ, ut ab *Hippocrate* non dictum non dicendum, huic incognitum, non cognoſcendum putant?

Prodeat illuſtris naturæ ſcilicet amaſius *Galenus*; qui Artem paucis contentam in immenſa dilatavit volumina; ſuppreſſis nominibus inventa aliorum ad ſe rapuit; totus juditio penurioſus, propria quum ſenſa expreſſurus Hunc ultrà cum longo ſuo verborum ſyrmate ſuum appellitet patrem *Montanus*, à quo nunquam diſceſſurus.

Prodeant *Abbreviatores* vix de ſuo ſymbolum adjicientes: prodeant immenſi, & innumeri *Compilatores*. Quis ſanæ mentis non adverterit proverbium heîc veriſſimum: μέγα βιβλίον, μέγα κακόν. Antiquas Orationes ſuo etiam tempore legi deſitas laudavit *Cicero*.

Quo profundius me hactenus immerſi lectioni veterum, eò mage ſuffocari mihi ſenſi illud, quod ex igniculo *Promethei* ſupererat. Tam ævi

ævi ſui plena deprekendi omnia, ut noſtræ ætatis nihil trahant. Nil niſi Quaterniones *Elementorum*, *Qualitatum*, *Temperierum*, *Humorum*, *Tumorum*, & abhinc meras de Morborum cauſis, effectisque λογομαχίας inveni. Medendi morem, Methodumque ſuo ſaltem ſeculo, ſuisque Regionibus congruam.

Acidi & *Alcali*, *Fermenti*, & *Efferveſcentiæ*, *Lymphæ* & *Succi Pancreatici*, *Bilis* ut naturalis balſami, ſimiliumque ſexcentorum ne mentio quidem ulla.

Quocirca manus meas ſanguine animalium cruentatas, Viſceribus immerſas, ablutas *Lymphâ* inveni fructuoſiores. Stupenda per ignem technoërgemata oculis meis hauſta, ratione expenſa, naturæ operibus in Oeconomiâ animali, & præternaturalibus Morborum phænomenis accommodata expertus ſum Sapientiæ Medicæ ſtabiliendæ fertiliora.

PALÆPH.

Adjutamento eſſe Medico, non impedimento Scripta Majorum aſſerit. Quicquid recentioris ævi eſt, illis complicandum.

cipibus viris à ſaliaribus epulis venire ad ruſticorum cænulas. Nec idcircò minor eſt ſummus Deorum *Jupiter*, ſin aliquandò vel *Arcadiæ* tuguria, vel *Baucidos* intraverit tabernacula.

Tu autem tantus jam αὐτοδίδακτος Artifex neſcis diſtinguere tempora, & condonare cuivis ſeculo ſua vitia? Tu tantus Experimentator delicta temporum ab illis quæ ſunt hominum non diſtinguis? diſce potius à *Cardano* deſtitutos ſeculi favore Authores, inopes quidem verbis debitis, non rebus ipſis eſſe. quid anſeres illos culpas, quod cygni non ſint facti? Barbaries temporis illius omnem ſuavitatem *Muſis* excluſerat. nequidem præſtantia ingenia temperamentum hujus agnoſcebant.

At poſtquam fœdiſſima imperitia è Republicâ Literariâ paulatim eſt ſublata, etiam alii emerſêre *Medicæ Artis* excultores, & reſtauratores. Et quamvis ſub ipſum diluculum plurima prætervíſa, nec fucata à veris mox ſecreta, quod provintia *Medica* privatis cujuſlibet fuerit

fuerit suscepta auspiciis, sensim tamen surgenti Naturæ assurrexit *Ars* nostra. Tandem quoque excultissima evasit, probatissimis tractu temporis eam excolentibus.

Hos ut numerem, quos produxit felicior seculi genius, nec opus est, nec libet. Tu autem nil sapuisse omnes dixeris? quin inutili labore pallidos nec veræ, nec suavioris conditura Medicæ gustum dare? tibine ab omnibus hactenus laudati in discrimen famæ venerint?

Nequidem crudelis *Paracelsica* lues, quæ luctuosa plurimis ingeniis funera edidit, exsurgentibus illis abstitit.

Solusne *Helmondtius* jam religione sui occipitii singulari, ejusque asseclæ id effecerint? Occupatus ille magis ut subtiliter dissereret, quam fideliter curaret, tibi tanti est? Visone illius, quasi *Gorgonis* capite obstupescis? inter illiusne *Adeptos* nomen aucuparis? neque *Gas*, neque *Blas* Vetustatis retines, quoniam *Universali* seraphicam polliceri audes sanitatem?

Jam ergò cum *Apulei Magâ* cælum

lum deponere, terram fuſpendere, fontes diluere, manes ſublimare, ſydera exſtinguere, & tartarum illuminare edoctus es? Hinc *Hermetis* Ænygmata, lilium de ſpinis evulſum, & aliæ de aureo vellere fabulæ arrident? Aſſurgo igitur tibi, eo felicitatis evecto, ut qui hanc tuam ſortem cum Perſarum Regibus non libenter permutaveris. *Gryllus* interim ego malim eſſe, quam tibi ſimilis hujuſmodi *πολυμήτις Ὀδυσσεύς.*

NEOCHM.

Helmondtium extollit.

Rides, & irrides: ſed lethæo flumine opus habes, è quo

Securos latices, & longa oblivia potes.

Exutis, & præconceptis opinionibus, & præjuditiis, ſaltem moderna Veritas tuum erit ad palatum.

Helmondtius multorum naturæ mirabilium promus condus. Sin ſcommatis parceret, incomparabilis foret. agnoſcit hoc undiquaque doctiorum chorus. jam ante decennium rogabatur Cl. *Bartholinus* ne Novatorem eum appellaret. *Epiſtol. 17. centur. 2.*

Ejus

Ejus ſanè genio jam animantur Celeberrimi in re Medicâ viri. prævidit ille è longinquo, quæ jam Anatomica reperta è primâ contemplamur caveâ. *Acidum* in Morborum cauſis divulgavit primus. Per plurimis aliis inveſtigandis anſam præbuit, ſummus rerum tam præter, quam ſecundum naturam referendarius.

Prænunciat adventum alterius, cujus non ſit dignus eſſe diſcipulus: penes hunc omnes Morbos debita ſua remedia inventuros ad unitatis tonum, cum intuitivâ omnium ſcientiâ. Hunc autem jam jam in procinctu eſſe, vel etiam apparuiſſe quis non percipiat? adeò ſanè hodiernus Saltantium *Medicorum* chorus ab eo pendet, ut ſordeat *Hippocrates*, *Galenusque* omninò.

PALÆPHAT.

Eundem deprimit, & improbat.

Siccine novus per ignem philoſophus rigido occas raſtro? Siccine abſurditatum plauſtris onuſta comprobas, & ante Plumas ſufficientes è nido tuo ad Monarchatum tendis? Quid autem magnetica Vulnerum curatio,

curatio, & complures falſimoniæ, pro authenticis venditatæ experimentis? Quid idæas formare pergis, quas meritò inter fabulas quis reponat? Quid audax quaſi *Sepia* aquam atramento inficis, ut ab expanſis te expedias retibus?

Verbis autem ludere, idne eſt benè eludere difficultates inſolubiles? Ex Orcheſtrâ deturbare Authores alios, & Naturæ prothopræſidem allegare, ipſâ *Carmentâ* obſcuriorem, idne ſolvit nodum fabulæ? Tragicum agere in argumenti exitu inexplicabili,

Ut Deus interſit, ubi dignus vindice nodus
Nullus. ———

idne ludibrium excludit?

Sed forſan ternâ geniculatione votum feciſti *Spagyrico Meſsiæ*, quem prænunciat *Helmondtius*: quam vereor interim, ne ſolas oſculaveris umbras.

O fugito Annales Voluſi, chartasque cacatas!

NEOCHM.

Pergit in defenſione Helmondtii.

En obſtinatum præjuditium, quo in



in advorſum raperis! quam pulchrè *Sydonius*: naturali vitio fixum, radicatumque pectoribus eſſe humanis, ut qui non intelligunt Artem, non mirentur Artifices.

Sit in quibuſdam Chreſtologus *Helmondtius*, in quam plurimis altiſſimus naturæ interpres eſt. Apes nŏrunt ex amaris parare dulcia, & venenatæ feræ optimum dant Bezoar. Nec te latet meliori tritico quoque internaſci lolium, & piperi ſæpius intermiſceri muſcerdam. Depromit hodierna Anatome faces, quæ ſufficienter elucidant hunc Authorem.

Ejus derelicta pleraque jam in meliorem ſenſum trahi poſſunt. Quam affabrè *Acidum* ſua invenit hoſpitia in corpore? Quam appoſitè *Alcali* denudari poteſt? Quam dilucidè *Latex* illius in *Lympham* tranſiit? Quam concinnè ſub *Pyloro*, quem ille Rectorem deſtinat, Nunc fons Morborum per concurſum *Bilis*, & *Succi Pancreatici* apertus? Taceo cætera. Quid ergò ὡς κύων ἐπὶ φάτνῃ. invides aliis, quod non ſapit tibi?

PA-

PALÆPHAT.

Helmontii sequaces perstringit.

Quid mysticum amasium tuum urges, & reliquos alto despicis supercilio? quibus ille in delitiis, nisi qui destruere nituntur Veterum ὁμόνοιαν? quibus non absurdus, nisi qui *Messiæ novi* nomen & applausum aucupant?

Huc jam specimina exhibita *Lapidis Philosophorum*: huc universalia, & omnipotentia pharmaca: huc *ægyptii Phænices*: huc omnia, quæ tam improbabili urgentur ratione, quam actu impossibili constant. Huic fini Naturam se quivis sequi putat in suis mæandris, & singulares illi extorquere posse thesauros. Ita nova & cruda, & rudia obtruduntur, abjectis iis, quæ falsi nondum convicta.

Quantus hinc congredientium tumultus! quanta concertatio! dum compedes opinionum ferrei pro aureis habentur ornamentis. Divortium undique ab Antiquis quæritur, sin tamen res spectetur ipsa, novis saltem verborum involucris vestita prodeunt.

Ipsam

Ipſam & *Hippocratica*, & *Galenica* aliis ſaltem pigmentis nonnihil colorantur dum fallacibus diverticulis ſemitæ veræ intricantur.

Hui ergò! quid Libros probatos hactenus inſpicere juverit? jaceant illi ſqualidiſſimo ſitu: pulvis meliorem eorum partem execdat. ſufficiunt Experimenta ſola, quæ hactenus *Medicina* ignoravit.

Comœdiæ inſtar hodierna *Ars* plurimos ſuſtinet ſic perſonatos, dum excultiſſima venditatur. *Satyri*, *Mimi*, *Parodi*, aliaque Dramatis delectamenta poſſident potiora: quin etiam majorem Vulgi applauſum merentur, quam ipſi *Comœdi.*

NEOCHM.

Extollit hodierna Medicinam augmentandi & emendandi ſtudia experimentalia.

Parce fatis, quibus volvimur. Tu Veterum Authoritati aſſurgendum vis, ego hodierni ævi felicitati. partium quidem diſſidia excludi nequeunt, quamdiu meſſis nondum penitus ex herbâ. Jam olim ex partium diſſentientium arbitriis plurima Arti acceſsêre emolumenta.

Tan-

Tandem aliquando certa exorietur *Ariadne.*

Suffecerit nunc temporis omnia ad Experimentorum trutinam exigi, & hinc sumi examinis normam & obrussam. Vivant ergò Moderni, quibus promachis vitam quasi, sanguinemque recipit *Medica.*

Collegia Curiosorum parturiant quotannis singularia Artis, & Naturæ ornamenta: succrescat undique fertilissimorum ingeniorum numerus, quibus idem decurratur stadium. Extorqueant ampliores thesauros Naturæ, expertissimæ Anatomicorum encheyreses. extorqueant assidua Ignis experimenta nova Artis beneficia.

Sic floreat Seculum oculatissimum, quo Veterum improbi labores umbræ modò apparent. Nec te amplius juverit Sylvam ingredi horridam Antiquitatis, & cum solis priscis tam sapere, quam loqui. Quid nubem pro *Junone* amplecti non desineres? Quid profuerit per ignotam errare regionem, & quæ solis tenebris constant, miserrimo colligere labore? Modus

cognoscendi jam inanis hicce est.

Exulet oportet omnis *Authoritas*. λόγος καὶ πεῖρα fundare cognitionem sola debent. quicquid cum his κριτηρίοις consentit, pretium saltim habeat. Eatenus Scientia locum occupet, quatenus conformis his mensuris. His Palladis portis apertis ad regium ὑγιείας solium accedatur: non alia enim viâ hujus gloriosæ Reginæ aspectu frui licet.

PALÆPHAT.

Nova cum Antiquis conciliari posse asserit, & absurdis dogmatibus januam per Experimenta non patefaciendam.

Crambem biscoctam reponis, quis non nauseet? Non obtruduntur Scripta Majorum pro Sacris literis, quibus nihil demi, aut addi debeat. Defectus & hiatus Antiquorum ab industriâ Recentiorum benè supplendus.

Nullum tamen patrocinium volumus omnia susque deque novantibus. non velum inde mutuandum improbabilibus Cerebri figmentis. Nulla inde surgit veritas obliquis comparationibus, & analogiis vel è Chy-

è Chymiâ, vel aliundè depromptis.

Veriſſima autem Anatomica inventa, quoſcumque etiam excellentiſſimos agnoſcant Authores, Antiquitati è diametro non contrariantur. Conciliari & combinari cum pleriſque neutiquam ſunt neſcia: nec enim in ruinam ejus, ſed emendationem tendunt.

Quid igitur conceptus analogici, qui eadem potius deturpant?

Quid ſchemata nominum peregrina, quæ ſaltem obumbrant? Quid commentitia gratis ſuſcepta, quibus nihil τοῦ πράγματος ſubeſt? His tamen novitatibus, his figmentis quotidiè illudimur.

Tota Microcoſmi ditio pro Cerebri ſtatutis hujus vel illius transformatur. Subjacet *Pyrotechniæ Medicina* omnis: qui Chymiam eatenus non apprehenderit, ſeipſum jam neſciat oportet.

Quid quod totus *Hippocrates* ſic myſticè *Chymicus* reddatur?

Sin vulgaria loquâris, ſin focum, & culinam, ollam, & opercula, fumum, & fuligines, jam quaſi deſtitutus omni myſterio deſpueris.

Ipsius Naturæ campus haud amplior, quam quo usque flammæ vis pertingit. *Effervescentiæ*, *Explosiones*, *Fulmina*, Tonitrua, Furiæ, Terriculamenta concipiuntur etiam ubi nihil horum.

Quàm benè ergò *Scaliger*: In luce rerum tenui caligamus, in mediocri cæcutimus, in majori cæci sumus, in maxima insanimus. Lunæ non ineptè assimiles *Artem Medicam*: jam cornuta; jam divisa; jam falcata; repentè nulla erit.

Sed desino hæc generalia dolere. Quas adfers novitates sine ambagibus audire gestio.

NEOCHM.

Per Resolutiones Chymicas detecta nova Artis & Naturæ instrumenta, Alcali nimirum & Acidum proponit, & urget.

Frustrà causaris abusus, sine quibus tamen nihil mortalitati indultum. Usum ego, missis abusibus, certiorum, meliorum, & vitaliorum *Principiorum* tibi promam, quibus Causæ Medicæ melius eruendæ, quibus superstrui commodè omnis *Medicinæ* moles possit.

Non

Non ſunt amplius quaterniones *Elementorum, qualitatum primarum, Complexionum, Humorum*, aliorumque inde dependentium ſtatutorum, quæ ſatiant animum veritatis avidum. laxa videlicet nugarum ſomnia; ſterilia, & zelollacea germina, nullâ impreſſione, aut tincturâ conſtanti fœcunda ſunt.

Verus analyſta *Ignis* ſubjecta veriora mirabilitatis, pulchritudinis, & neceſſitatis edocuit. Hic ſecretiores naturæ receſſus adaperuit; hic intima rerum penetralia exhauſit, & in miſtis σύνθεσιν comprobavit per ἔκκρισιν. Analyſis enim fidum & genuinum eſt κριτήριον. Detexit igitur *Ignis* ſubjecta, quæ primas tenent inter ſenſibilia ultima.

Entia quidem realia, corpora principiantia, ſub variante plerumque mixturâ abſcondita, & per Reſolutionem undiquaque deprehenſibilia. in pluribus quidem ſubſtamen, in paucis his efficacia. His inveniendis ſtationes quæque corporales detegi poſſunt per commendabilem ſanè curioſitatem. Culter ſpagyricus in veri Artificis ma-

nu id præſtat, poteſt. Encheyrema Chymicum, & *Vulcani* Officina nuſquam deſtituunt indagantem: nec fallit in triplici regno, familiâ, vel circulo eventus, modo vexari chymicè poſſit, quod hanc heterogeneitatem largiri debet.

Prodit *Alcali*, prodit *Acidum*, quæ ambo κιφαλαιοθίςατα *Medicinæ* objecta ſunt. Exſurgunt hi *Pugiles*; comparent hi *Gladiatores*; prodeunt hæc verè realia Entia; deprehenduntur hæc bina *Artis* & *Naturæ Inſtrumenta*.

Quid mente non apprehendantur, quum in ſenſus incurrant? Quid ficto velamine amplius occultentur? Quod *Spirituoſum*, & *Volatile* adeſt, ab his activitatem: Quod *Oleoſum*, ab his moderamen: quod *Viſcoſum*, *Terreſtre*, & *Aquoſum* eſt, his in temperiem, aut molem cedit. Quod *Salſum* autem, ex ſola utriuſque miſtura conſtat.

Haud aliæ particulæ reſolubiles comparere ſolent. Quod incompertum ſenſibus, id Phyſicis ἐκ βίβλῳ, otioſisque ſpeculatoribus relinquendum.

Quis

Quis locus ingenio, sensus quum vincere possint?

Insipidum primò solet exstillare Alembico Phlegma. adaucto igne Sapidior, & volatilis pars apice striatim decidua est. Unctuosa & inflammabilis acriori incumbit *Vulcano.* patentibus undique registris, & flammis furentibus album, & fixiori compage coadunitum Colchotar comparet.

In his *Alcali*; in his *Acidum* adest. his autem bene appellaveris hos *Pugiles* nominibus, nec *Arti* in technicis nomenclaturis injuria fit. depromit igitur *Ars*, quæ rebus ipsis per se φύσει insunt.

PALÆPHAT.

Resolutiones Chymicas in dubium vocat. Alcali & Acidum commentitia vult, necdum benè intellecta.

Jam igitur super omnia evectus es æthera, qui ejusmodi nôris Principia.

Jam te discussâ liquerunt nocte tenebræ.

Jam novo in *Helicone* fixisti sedem *Musis* tuis. Quid sin autem in specula *Siciliæ* consesseris, & ad-

pellentes *Carthaginensium* numeres naves? id monstrare, haud difficile judicaverim.

Sed non ingressus es viam veterem, qua *Aristoteles* naturæ penetralia adiit, nec novam, qua *Cartesius*, vel alii usi, salutasti. Solis *Resolutionibus Chymicis* contentus renatam inde rem Medicam, & quasi de integro conditam venditas. cææ Experientiæ cultellum minaris.

Duo Magnalia in Septem Sensoriis crepas pluribus elogiis: hæc sola ad veritatis atterendam asseris cotem. Totidem insurgis *Principiis*, quot sunt *Thebarum* portæ, & divitis *Nili* ostia: sed inter ea nonnisi duo activa præcipua vis.

Nimium autem tribuis *Resolutioni*, nimium incertitudini Partium resolutarum. Etiam mecum alii, quibus familiare cum Natura & Arte in Furnis commercium, id astruunt. Sæpius prodeunt ostentamina fallacia.

Nulla ergò evidenti concluseris certitudine, præexstitisse in Composito, quod vi ignea separabile. Nec certus esse potes non adfuisse plures

plures particulas heterogeneas. Sin ſenſus urges, etiam ipſimet fallibiles. ſimulant ſæpiculè heterogeneitatem partium Corpora.

Quomodo concinnari queant in apparentias perplurimas, vel *Cera* ex apiario deſumpta, (ne pretium ſuum amittant obvia.) docet. Sapit melleam dulcedinem, florum redolet fragrantiam, ſuo gaudet colore, ſuâ terminatur figurâ, ſuam extenditur in magnitudinem. At experta ignem deperdit ſaporem, odorem, colorem, figuram, ampliat extenſionem, liquefcit, caleſcit, remanet tamen ipſiſſima *Cera*. Exerceat illa ingenium, quod ſola novitatis prurigine titillatur.

Excurſum non facio ad alia, velut poſſem. Tot reſultant nimirum corpuſcula, ante cudentem Ignem neutiquam præſentia, ut vix mente, nedum ſenſu comprehendi queant. Non allego ergò ſubtiliores particulas per vaſorum juncturas elapſas, nec cohiberi poſſibiles: non inſenſilia, & incomprehenſibilia minima naturalia: non particulas volantes, fluentes, evaporantes è

ſingulis ſingulares, quæ ſeptenis vel pluribus terminis nunquam comprehendere poſſis.

Adeò ſuſpectæ manent veritatis, quæ *arte Chymicâ* excutiuntur, ut nihil magis. tot & tam varias digerit *Ignis* contexturas, ut certo ullo nequeant determinari numero. Externa Schemata, communia nomina, analogicæ convenientiæ non ſatiant veri cupidum.

Quid autem his immoror, quum ſufficienter ab aliis luci expoſita ſint? Suſpicor autem te nullas diſtinctiones morari: Nec actus à potentiis, nec immanentia & integrantia à tranſeuntibus, nec varios generationum modos interſtinguere, quaſi *Reſolutio* omnis minimarum ſemper particularum diviſio ſit, nec unius generatio alterius corruptionem conſequatur.

Sic nimirum & Caſeum è Vermibus, Cibumque è Chylo, velut Abſynthium è Sale, & Lignum è fumo, flammaque conſtitiſſe concluſeris; Quando progreſſus à termino ad terminum unus ſemper idemque ubivis manſerit, & rudi cum

cum Minerva Resolutiones solæ urgentur. Tum quoque superficialis scrutator farina aspersos Mures pro dominis Pistrini susceperit ex joco *Scaligeri.*

Nondum autem concipio Mysteria tua Chymærica, *Alcali* nimirum, & *Acidum*, nisi apertius & melius explicaveris. Tantisper intra minas mihi stare videntur, nec tempestatem, quæ ex iis coibit, multùm vereor. Sin ex his solis mappis Hydragogicis novus emerseris nauta, ludibrium quibuscumque scopulis & ventis debebis. Nec assequor causas, quarè ad Priscorum opiniones, scitaque philosophari nolis, aut è commentariis simul sapere.

NEOCHM.

Defendit Resolutiones, & ex iis conclusiones universales sufficientes urget.

Absque tumultu Veritas non triumphat; nec sponte sua illius jubar emicat, nec silentio satis superat. Evolvi tuis ex involucris statuta mea facilè possunt.

Entia, quæ ὑποστατικὰ produxi, sibi satis constant; nec proterviam includit, quod foculo subjectum

asſero univerſum. Contraria verborum ſyrmata, plumâ leviora ſunt, nec attingunt rerum nucleos. Senſibiles notiones, & demonſtrabiles inanibus anteferendæ litigiis: nec obſcuratur quiſquiliis, quod artificioſa *Reſolutione* manifeſtum.

Quomodo autem Apparentiis annumerentur, quæ ſub oculum, & manum cadunt? Tractatum igne corpus è quolibet circulo, ſpecies reddit illas, quas dixi: vel luſcus diſtinxerit eaſdem. Omnes quidem ex omnibus non deſiderandæ; quæ fixioris diſpoſitionis ſunt, eas non reddunt omnes.

Alcali tamen & *Acidum* nullibi penitus excluſa: nec ad unum tamen pertinent, etſi unicâ larventur compage. diſtincta & pura ſine fervida pugnæ ſpecie non conſociantur. cum ſibilo ſic ſæpius ebulliunt, quum ſe exanthlant.

Simplex quidem vix ulla res, ut eâ nil ſimplicius concipi queat. Virtutes autem rerum è quibus emerſère, retinent cinis, fumus, vapor. manent effectus & proprietates ſenſibus internoſcendæ. ad aſpectum quoque ſimilibus continetur realis diverſitas, quæ tamen nec obſtat reali communitati.

Communes affectiones communia ſuſtinent ſubjecta, & nihilominus Peculiares effectus è ſingularibus fluunt particulis. Ab

Ab Arte quoque insita mutationum principia non producuntur. *Ars* saltem τῇ φύσει συνέργει. adeò ut naturæ & artis partes interstinctu faciles sint.

Frustrà ergò impugnatur sensibilitas, & sponte suâ diffluunt larvæ omnes. Cuivis obviæ particulæ sunt resolutæ: demonstrabiles ad oculum & manum; quin linguam quoque discrepanti satis vi feriunt, aut afficiunt.

Terrestria, *Aquosa*, *Viscosa*, *Spirituosa*, *Oleosa*, *Acida*, & *Alcalica* præcipuè, experimentali ratione omnibus constant sublunaribus, ut uterque docet Cosmus. Terram & Aquam, putem, nullus controvertes. *Viscositas* cum aquositate confundi non debet: liberum à visco datur phlegma; liberum & viscum à phlegmate.

In *Spiritus* non fuerit injurius, qui eos vel ab *Acidi*, vel ab *Alcali* aculeo dixerit efficaces. Quin fixis per repetitas cohobationes conciliari potest spirituosa volatilitas. Distinctæ ergò Spirituositates è distinctis emergunt substantiis. nec manifesta Aëris, vel Aquæ vestigia eas incertas reddere possunt, aut suspectas. Sub his formis etiam duplex spirituosa efficacia elucescit: & monstrant effectus diversi hanc diversitatem. Transeunt sic quidem in Spiritus,

ritus, quæ semper Spirituosa non sunt.

Quid quod *Oleosæ* particulæ peculiarem sui intuitum vix exigant? Liquor unctuosus ab unitis particulis *Alcalicis*, & aromaticis efficaciter dependet, & si quod unionis vinculum in massâ conflagrabili, illud larvam alienam ludit. Monstrat hoc apertissimè *Alcali volatile oleosum* redditum. Monstrat igneus Vini liquor, quem larvâ indutum oleosa solummodò benè dixeris.

Sed non urgeo cætera; solum *Alcali*, solum *Acidum* est, quæ nunc volo. Hæc in omnibus familiis ut inveniat, & distinguat ignis; & quomodo ex iis arces fundamento non carentes exstrui possint debeantque, monstrare insisto. Hæc ut jam manifesta, jam occulta sint, patefacturus sum, per universum distributa.

PALÆPHAT.

Nihil in universum concludendo è Resolutionibus trahi posse contendit ulterius.

Lubricum teris iter, fallacia figis vestigia: fulcris fragilibus ad resi-

refigendas *Artis* leges procedis. Improbabilis enim eſt *Reſolutio* univerſalis. apparentiæ & inſufficientiæ perplurimæ cultrum hunc nimis hebetem reddunt.

Quid perſtrepis ergò de *Alcali* & *Acido* vulgatum εὕρηκα? & relicto vivido veteri fonte, è lacunis turbulentis hauris aquas?

Experimenta, mera quandoque glaucomata ſunt: dulcia promittunt, & aurea ſimulant, quum nihil in receſſu.

Quam inefficax *Reſolutio* in regno minerali? in reliquis necdum dubiis ſuis extricata, aut indefinita. Phænomena generalia quid certi trahunt? apparentes Communitates quid veri poſſident? Operandi peculiaritas obſtat reali communitati. contrarietas nullam naturæ ſimplicitatem tolerat. Miſta pluries de novo generantur *Vulcani* ope. Sæpè ſuppeditat Furnus plus fumi, quam lucis. ab ingentibus utplurimum conceptibus exulat evidèntia, ſin ad rationis libellam exigantur.

Non remanere poteſt eadem Particularum diverſitas in corpore reſoluto,

ſoluto, quæ aderat reſolvendo. Quantitas, figura, ſitus, motus, & quies in quibuſlibet permutantur reſolutionibus: nec aliis corpus quodque naturale conſtat.

Ambitus naturæ longè patentior eſt, quam ut ſtrictis adeò includadatur cancellis. Imaginaria myſteria tua obſcurabunt, non illuſtrabunt ergò *Medicam.* Quis ea numeret, non æſtimet? quis credat ſolum, non cenſeat? Sola *Spagyria* vivi intellectus ſpecimen non eſt. Excuſſam autem ipſemet hodierno ſeculo credulitatem contenderas; ſpeculationeſque rejeceras ab Experimentis.

NEOCHM.

Reſolutionibus firmiter inſtat, etiamque Hippocratem argumento ſuo allegat.

Quid ſublatâ oſtentas manu argutias philoſophicas? Cur non diſcernis uſum verum à fumivendulis impoſturis? Quæ inquirit ſpagyrica *Experientia*, horum plenam dat poſſeſſionem ſufficiens *Ratio.* Impetrabilis ut eſt ignis ope dicta ſchematum in diſſipatis corporeis particulis

lis diverſitas, ſic etiam permanens eſt.

Præcipuè, & evidenter emergunt efficaci Reſolutione noſtri *Pugiles* dicti, licet centrum, & meditullium cujuſque occupaverint, & trium Regnorum climata pervaſerint. Celſiſſimæ hæ creaturæ, licet inviſibiles, licet impalpabiles, per pyrotechniam tamen effectiſſimâ dexteritate redduntur viſibiles, & palpabiles. Lumina hæc evidenter lucent, licet occulta ante ſeparationem fuerint. Incorruptibilia cum tripudio ſuſpectantur ab Antiſtitibus Hermeticis, dum martyrium ignis ſuſtinere videntur.

Sin ea in ἀρχαίοις non inveneris, ſin apud *Galenum*, alioſve non reſideant, quid tum? Vacuis in aulis relictâ Philoſophantium turba, experimenta ferveant oportet.

Quin tamen etiam *Hippocratem* conſulere poſſit, cui Antiquario eſſe collibet. Patefecit & ille luculenter, *Medicam*, quanta, quanta eſt, ab iis dependere. Suis tradit noſtra Myſteria verbis *lib.* I. *de Diætâ*, & *de Priſcâ Medicinâ*, & *de Naturâ.*

Locis

Locis hisce fulgentissimum *Chymiæ* jubar instructissimè loquitur, & doctrina confirmat sua experimentali; ut saltem inde conticescant, qui nil nisi Vetera volunt.

Ignem & *Aquam* ibi nominat, sed *Alcali* & *Acidum* intelligit. Hæc enim duo simul juncta tum aliis omnibus, tum sibi invicem satis esse, non verò seorsim sumpta: his facultate quidem diversis, sed usu consentientibus omnia Animantia, tumque Hominem ipsum constare edisserit.

Omnia ab hisce deducit Potestatibus. Non Calido, Frigido, Humido, Sicco vim relinquit ullam; verum *Acido Salso*, *Amaro* &c. omnigenam resignat. Δυνάμεις has nec videri, nec molestare contemperatas, ast ab aliis secretas. nimirum commoderationem, ac temperiem harum innoxiam, naturalemque; disproportionem & secretionem præternaturalem. Excessum à nullis aliis tanti esse.

Missis verborum involucris, *Alcali* & *Acidum* duo illa sunt, quæ facultate licet differant usu tamen con-

concordant. Sine his *Pugilicis naturæ* & *Artis instrumentis* nil ad rerum ordinem efficax, nil satis instructum. Reliqua jugum horum subeunt, vel temperiem, aut fugam moliuntur. diverso horum duorum intuitu, *Principia* diverso numero, nomineque audiuntur.

Hæc pro conceptu variorum variant, & nihilominus coincidunt. Ex his spiritualitas, & volatilitas distincta. Nec tam inauditæ hæ cerebri fæturæ sunt, ut quenquam latere queant. Tu modò, ubi nil litium, desine lites serere.

PALÆPHAT.

Allegatum Hippocratis lusu excipit.

Quid litium mihi memoras? quæ rerum monstra excusas? in fundatione inconstans, qualis eris in superstruendis? En autem Subtilitates altero *Scaligero* dignas! *Hippocrates* in auxilium commenti asciscitur. Hui! tantum fulmen de longinquo! quis non aquam desideret ad manus? nimirum tam profundè è Veterum fonte hauriendum erat.

Magnus artifex ad nutum suum loquentem fecit *Hippocratem*, & pro-

pronunc è commentariis ſapit. Sic enim decet dicta Principum contorquere ſuis commentis.

Per *Aquam*, & *Ignem*, *Alcali*, & *Acidum* tibi intellexiſſe datum. quis rebus immenſis deeſſe putet verba? lubricis veſtigiis quis immanſerit? Locorum horum *Hippocratis* rudes hactenus fuêre expoſitores, nec intellexere bruta, aut talpæ eadem. Lyncei, & mercuriales Jovis interpretes hodierni vivido valent ingenio, ſubacto judicio, oculiſque vel in tenebris micantibus.

Verum ſic ſolet pro Vetuſtate militare Chymicorum chorus. fortiter ſibi feciſſe videtur, ſin palmam in hunc modum auſpicio aliquo Imperatoris ſuſtulerit.

Nunc autem ego commodiori explicatione loca allegata vindicem? per ſe patet in luſum trahi omnia. Concretive ſumpta in cauſas eſſe, non rejectis aliis. Sobolem productionis novæ, certæque mixtionis per determinata Subjecta mutabilem denotari. nullâ autem fronte excipi duo per *Aquam*

& *I-*

& *Ignem* intellectâ, & in sola naturæ & artis instrumenta promoveri. Mirabilem igitur hanc Sapientiam, dignam, quæ ad *Apollinis* aram suspendatur, suspicio.

NEOCHM.

Commodam explicationem loca Hippocratica tolerare; regerit.

Demiror pertinax contradicendi studium. Applausum me *Hippocratis* venari jam irrides, qui paulò ante exegeras. nec tamen inauspicatò prodiit in hanc scenam; ut censes. nihil interim stat vel cadit illius authoritate, nec meus adeò factus est.

Ignis & *Aquæ* nominibus *alcali* & *acidum* denotari docent circumstantiæ. *Asa*, & *Phalaia*, quibus eadem effert *Basilius Valentinus*, longè obscuriora sunt. Abscondita ille arcana involucris nominum, & descriptionibus figuratis obtulit. Elegit *Hippocrates* obvia nomina. Nos, quibus oculi patentiores, agnoscimus proximè, quod ille de longinquo.

Insunt homini *Hippocraticæ* δυνάμεις. Temperate quod non videantur,

nec

nec ſentiantur, nec moleſtent, at intemperatæ, & ſecretæ, veritati experimentali congruum. Aliam homini, aliam univerſo conſtitutionem nulla vis creata effecerit. Remanent poteſtates hæ, utcumque aliis confuſæ. Prompta cujuſque ſeparatio, quia certis fit congreſſus punctis. de poſſeſſione primùm pugnatur ſummâ, quæ cum occupari nequit, in gradu deſidetur remiſſo.

Sic præcipuæ ubivis *Alcali*, & *Acidi* partes. Reliquæ, quas adjicit *Hippocrates*, ſub horum duorum ſigno militant. amarum ex amborum *pugilum* unione ſingulari exſoboleſcere ſolet. dulce, inſipidumque temperiem ſaltem reſpicit. ex *Acido* Auſterum & Acerbum per degenerationem provenit.

Certè omnes *Hippocraticæ* δυνάμεις *Alcali* & *Acido* nativitatem, vel exortum debent. hinc ſolis *Ignis*, & *Aquæ* nominibus obviis contentus *in l. de diætâ Hippocrates.* nec quoque aliundè ſua ille deprædicat πνεύματα, & ῥεύματα. probat vulgato opere, quod verba ſpirant. His ergò myſteriis quidni exerceatur *Æſcu-*

Æsculapii progenies, ut apis inſtar dulciſſima *Artis* conſequatur ſecreta?

PALÆPHAT.

Indignatur prolata ſerio reſponſo.

Infelix, & mirabilis transfuga ad aliena tibi caſtra, in ſcenam prodis. Monſtras ſanè alienis, quos *Hippocrati* affingis, ſenſibus, quam benè verſaveris Veterum monumenta. Craſſo tamen nimium animaris genio, quam ut redargutione dignus. Luſum potius, jocumque reputo, quicquid hactenus. Loca tibi allegata ab aliis longè felicius explicantur. nondum benè calceatus mihi vidêris, ut his te ſpinis commiſeris bono cum ſucceſſu. Arcem igitur cauſæ protinus invade, ut κρησφύγετον tuum toti Antiquitati incognitum tandem plenè percipiamus.

NEOCHM.

Quid per vocabula Alcali & Acidi intelligendum, explicat, & determinat.

Non *Stilponis*, aut *Pygmæi* vires tibi Leoni, ſed *Hectoris* haſtam, & *Herculis* robur opponi videbis. nec enim ficulnea ſunt, ob quæ veritati huic

huic sacramentum dedi. Experimenta audies sufficienti rationum momento suffulta. Usum medicum luculenter hinc revolutum gaudebis tandem. Præmittam tamen vocabulorum intellectum, ne nos inaniter remoretur.

Originem nominis *Alcali* ab incineratâ herbâ *Ægyptiacâ Kali* desumptam haud ignoras. Salibus illud fixis & Lixivialibus abhinc applicatum; illudque primariò judicatum *Alcali*, quod genesin suam è cinere, & lixivio traxerat. Verum commodiori alio nomine destitutis nobis, & in vulgato libenter permansuris, extensio illius ulterior satis tolerabilis visa.

Collibuit quibusdam illud *Alcahest*. Verum nil id aliud, quam *Alcali est*. Possemus ita substantiæ illi internoscendæ, quam *Alcali* volumus, aliud comminisci nomen, & quidem commodum: at vix licuerit, quod hoc jam vulgatum sufficiat, & satis per se congruum exstet. Non solum autem quid fixi illo indigitamus, sed & volatile; tamque naturale, & ingenitum, quam

quam artificiale, aut factitium.

Salis & *Salsi* nomen partim generale nimis est, partim insufficiens. Etiam *Acidum* complecti potest, quod tamen abstractivè ab *alcali* consideratum, & distinctum volumus. Quin rebus in quamplurimis *Alcali* est, quibus nunquam ulla *Salsedo* provenit, & incompletum ab *Acido* illud manet.

Nec sufficit diversa acceptio Lixiviosi & Muriatici, nec illa vere salsi Salis, & salis acido-salsi. Etiam in Lixivialibus quibusdam quoddam subesse *Acidum* potest.

Sic *Salia è Diureticis*, ut *Stipitum Fabarum*, *Genistæ*, aliaque non modicum *Acidi* cum *Alcali* jugatum continent. Quin suos deperdunt usus, quum ulteriori alcalizantur flammâ, ut *Acidum* omne suâ penitus emoveatur sede. Alia *Salia Betonicæ*, *Pyrolæ*, *Veronicæ*, & sexcenta, ejusdem sunt tenoris.

Lixiviale ergò nomen sufficiens haud est. Effectus omnes in omnibus non quadrant: nec analogia quidem hinc tolerabilis.

Verè *Salsum* sin dixeris illud,

 quod

quod acido-ſalſum excludit, aberraveris quoque. Nihil hujuſmodi eſt, dicive poteſt, ni ſimul plus minus *Acidi* pro exigentiâ cujuſque ſingulari comprehenderit. Certè *communi Sali* ſit affine oportet, quod *Salis*, *Salſive* gaudebit etymo. inde enim id nominis ad omnia reliqua extenſum, inde traductum.

At *Sal commune*, quo perfectius aut abſolutius nullum, plurimum *Acidi* complectitur. Tam congruè ex *alcali* & *acido* miſtum eſt, tam innexis arctè partibus, ut vix ſeparabilitas totalis per ignem conſequatur. Violentam illius ſuſtinet torturam *Acidum*, antequam penitus ſuum derelinquat *alcali*. amplexus arctiſſimus ex æquali procedit congerie, quâ coiverunt. Cremes, digeras, fundas, torqueas, merum *alcali*, privumque omni *acido* vix extorquebis. Quin igitur *Sal* & *Salſum* illud ſaltem eſt, quod *alcali* & *acidum* ſimul complectitur.

Alcali autem illud ſubſtantiæ eſt, quod è diametro *acido* contradiſtinctum. Ubi utriuſque arctus, & immediatus congreſſus adeſt, ibi *Salis*

lis vel *Salsi* etymon usu veniat. Sic lusus vocabulorum exclusus mansferit, quem Salium parit varietas, nec abstractum pro Concreto usurpabitur.

In *Acidi* voce nulla talis ambiguitas. Nec enim accidens, nec Saporem adeò, (licet per eum aliquandò dignosci possit.) at peculiarem denotat substantiam. hanc Mercurialem licet velint alii, nos ut intricatam nimis, non amplectimur. Ab effectu omnibus *acidis* simili denominatio congruentior est. sic enim à posteriori feliciter in ejus notitiam perventum.

Vis enthea illius frustrà jurgio premitur inani ob Saporum diversam originem. *Acida* per Resolutiones deprehenditur Substantia: in transmutationibus licet refringatur, alteretur, permanet tamen, nisi ubi ignis violentus eam ad fugam cogit. Quocirca, quum Substantia hæc *acore* sibi semper similis deprehendatur, & ab hôc delapsa, in illum denuò vergat, desumpta à potiori denominatio retinenda.

PALÆPHAT.

E nominibus abusivè sumptis colligit rerum ipsarum nullitatem.

Jam scire licet ergò quid per *Alcali*, & *Acidum*, quantum ad vocabula, intelligendum velis. Præmittis larvatas voces, ut mysteria cudendis novis opinionum monstris commoda eruas. Scilicet hæ restabant figendæ bonis ingeniis cruces, quasi nondum sat phantasticis provisum esset Orbi post adventum *Paracelsi*.

Intoleranda in *Alcali* nomine amphibolia est. *Sal* artificialis Ægyptiacus per incinerationem herbæ *Kali* factus, fixus est, neutiquam volatilis, genuinus. Lusus in vocabulo generaliter sumpto remanet. Analogicè saltem *Sal* ille, qui supponit exustionem, ita nuncupabilis.

Salsum tam varium fateor, ut vix unum sub intuitum cadat. jam fixum, jam volatile; utrumque jam purè salsum, jam acido-salsum. fixum purè salsum Lixiviale, aut *Alcali* hactenus vocitatum. Acido-salsum autem naturale, vel artificiale inveniendum.

Ex fluido quidem illo Sale *Acidum* hactenus conceptum. Quin illud, fixis salinis particulis, in aquositatem transire, deprehensum. *Spiritum* nimirum *Acidum*, portionem phlegmatis, sale aculeatam, nemo non reperit.

Exstillatum super fixum *Sal tartari*, insipidam relinquere aquam; quin ponderis augmentum ex portione illius derelictâ *Sali* accedere constat. Igitur hoc *acidum*, quod è sale muriatico, vel acido-salso profluit. hoc *alcali*, quod cineri elixiviatum.

Causæ à te allegatæ non satis prægnantes, quare à communi recedas usu. Sed sacra tua *Eleusinia*, nulli hactenus benè revelata hoc vocabulorum abusu indigebant. Pax sit autem illis. fabulæ exordium turbare nolo. Nihil addo, nisi quod, quum aureum spondeas Medicis seculum, vix ego ex tuis hypothesibus falsum fore id augurer.

NEOCHM.

Quid sit Alcali, quid Acidum, circumscribit.

Tackenius in Hippocrate Chymico horum præcipuus assertor, & satis strenuus est.

Inane quod de vocabulis litigium fugias, gaudeo. Intellectis rebus ipsis, nominum congruentia elucescet facilè. Sunt igitur *Alcali* & *Acidum* particulæ per se subsistentes: Mistum quodlibet præcipuè componunt: earum accessu, recessu, copulâ, disjunctione, dominio, subjugatione, exaltatione, temperie mistum suis singularibus proprietatibus viget, valet, & operatur. Ponit eas genesis cujusque naturalis; transponit Ars, invenit Resolutio. Subsistere in his, cum ultimis reliquis sensibilibus *Medicus* potést, nec opus habet, ut originem ulteriorem indaget.

Syncera utraque stat, suoque subsistendi modo gaudet, quin suâ quoque priva copulâ operatur. Nihilominus hæc utriusque conditio, hæc naturalis inclinatio, ut ubicumque possint, coëant, congressum, & copulam moliantur. Sic *Alcali*, nisi impediatur, insorbet *Acidum*; hoc combibit; huic se subjicit: *Acidum,*

dum; ubi ſyncerum eſt, poſt aliqualem conſternationem, aliquandò pugnam, aut *Efferveſcentiam*, illi ſuperfunditur. Viribus utrinque exanthlatis amicam ſortiuntur copulam; ab hâc autem *Salſum*, aut *Salſedo* varia, multiplexque trahit originem. Arcano præceptricis Naturæ impulſu in re quâlibet habitudinem ſortiuntur diverſam, ſicque Statum fixationis, fuſionis, aut Volatilitatis ſubeunt. Sin complementum ex ſe non invenerint, naturam præter ſæpius exundant, alterutrumque dominatur in ſubjecto, vel ſuccumbit.

Hinc ſingulares fluunt proprietates; quas & combinatio, & cujuſque ſeparata actio profundit. Igitur tam *alcali*, quam *acidum* jam fixum, jam volatile, jam corporalius, jam ſpirituoſius, jam manifeſtum, jam occultum in triplici Regno, vel circulo Minerali, Vegetabili, & Animali eſt. Harum duarum Particularum perpetua Circulatio eſt, & mutua reciprocatio: harum ubivis fermè deprehenſibilis congreſſus. Ultrà excurrere ſuperfluum eſt, quo-

niam ab hâc dualitate, mutuâque activitate resultant effectus ubivis memorabiles.

PALÆPHAT.

Imaginariam hanc descriptionem Alcali & Acidi esse: è terrestribus adustis, non hisce praexistentibus particulis Salia provenire regerit.

Quam insulsus in Principiis hisce? ni sale multo affatim defricêris, totus tandem putredine diffiues. Mirari subit autem, quâ fronte audeas omnia, tam universaliter concludendo. Sanè pullus mihi adhuc vidêris, qui vix perrupta crustâ incubantibus insultas gallinis. Nihil autem novi jam, nisi quod de *Salium* universali existentia voluêre hactenus *Chymici*, id tu, prout intelligo, de duplici *Salium* particula constitutiva somnies.

Acidum formam, & complementum *Alcali* concipis: duplicem hanc particulam in unum consobolescere *Salem*: hujus diversitatem ex alterutrius prævalentia, aut succubitu: hinc motus & mutationes rerum, & omnia deducis.

Benè igitur nunc *Medicis*! abditissimo

tissimo *Salium* sinu inspecto, intimis eorum scriniis reclusis, ovamus meritò, & gaudemus.

Quid autem? Sin *Salia* non saltem non resultare posse è tuis particulis combinatis, sed nec quicquam adesse eorum ante adustionem transmutatoriam, regeram? Particulæ sanè solæ terrestres, adustæ, & ab ignea exhalatione, sive empyreumate sapidæ in Salem transire videntur. Dum enim aduruntur, *Vulcani* ope concrescunt, reducuntur ad acrimoniam, & Salinam induunt formam.

Non opus *alcali* vel *Acido* præexistentibus, & immediatè copulatis. Nec habet *ignis* opus his imaginariis principiis. Sanè absoluti per *ignem* philosophi nomen qui affectas, quur illi exhalationes, vim Salsificandi, novasque denegas creaturas? *Igni* nimirum totius *Artis* tuæ magistro, quia fovet calore, luce recreat, & subtilitate permeat: *igni*, qui miscet, loco movet, turbat, pervertit omnia. *Igni*, qui nullam rebus linquit figuram, nisi quam ultimò impresserit; quique

acuta obtundit, & obtuſa acuat. *igni*, cujus proprietates tuus *Helmondtius* ſatis ebuccinare neſcit. *igni*, qui non motus ſaltem, & eruptio, ſed ipſiſſimam *Salis* naturam æmulari à quibuſdam venditatur: qui Oleum & Salem communicare per ipſa etiam concipitur vitra, licet *Sali Ceſpitum volatili* illa ſoboles verius & rectius aſſcribenda: qui mordicans, incidens, acris, penetrans inſtar ſalini Spiritus commemoratur.

A cujus *flammâ* Spiritus ſeparabilis, velut à Sale communi venditatur per varia Mechanica: ſcilicet etiam *Plumbi in minium exuſtione*, *Corallorum reverberatione*, *Antimonii fixatione* demonſtratur, quatenus è *Flammâ* vel *igne* pondus horum omnium adauctum ſit deprehenſibile. Quid tu verò?

Quam te ſtultitiam, (*quoniam non eſt genus unum*)
Inſanire putem?

Quidni autem nudâ *ignis* actione pars mixti terreſtris ad conſiſtentiam ſapidam, inque aquâ ſolubilem queat diſponi? Fumus, aut ci-

nis

nis nec lignum manent, nec in illud redeunt, ut adeò indè patefcat, quam tranfmutet *ignis* abfumendo, & alteret feparando, quam immutet figuras, pro infultu fuo.

Opus illius tranfmutatorium à feparatorio, & depuratorio diftinguendum. Species Salinas quando profert, tum conficit, non è latentibus principiis in fubjecto producit. *Alcali* fanè & *acido* non indiget. Sicut Salibus omnibus omnes eximere aculeos poteft, & in terram redigere infipidam eofdem, fic etiam terram aculeare.

NEOCHM.

Monftrat alcali & acidi exiftentiam extrà Salfedinem : ab eorum combinatione Salem omnem provenire, non verò Salem omniprafentem effe.

Improbas, quod non intelligis. *Alcali* & *Acidum* genuina & nativa funt principia; à priori falem conftituunt. *Salinæ* particulæ à pofteriori conceptæ hæc non evertunt. Jurgium inane indè promitur: conceptuum arctitudo ibi vacillat. Exftant quoque in mixtis, quibus nulla *Salfedo*, quia immediatum nul-

lum ſortiuntur congreſſum. Nihil *Salis* uſpiam in quovis circulo, quod non utrumque agnoſcat.

Verum ſeorſim mixtis immerſa etiam ubivis ſunt, licet in ſalſedinem nullam migrent. Tam diſtemperata, diſgregata, repreſſa, ut unionem haud obtineant, eſſe poſſunt.

Neutrum tamen *ignis* eſt opus, aut artificii ſolius productum. Abſconſa, & refractæ virtutis licet, ante omnem acceſſum *ignis* exſtant. Concreatæ ſunt ſubſtantiæ per primam divinam benedictionem, his tamen magis, illis minus. Congenitæ ſeparantur à copulâ reliquorum beneficio *ignis*, ut adeò immediatim copulentur, aut ſeorſim ſynceræ prodeant.

Ignis ergò efficaciam haud reddunt ambiguam: Artis ille plenipotentiarius manet, & excedit patientia quævis objecta gradibus ſuis. Per ſe tamen nunquam quicquam, niſi *ignem* aut *flammam* producit. Æquivoca illius generatio commentum eſt merum.

Quid autem entis ſit, quaque vi præ-

prǽditus, quas foveat proprietates, jam ut rimer ac determinem, haud opus eſt. Nudâ illius actione Salinam è materia terreſtri produci ſubſtantiam poſſe credat *Judæus apella*.

Eia age quî *Sal* à calido & ſicco ſaltem paſſa Terra foret? Terram tu ſolam flamma in *Salem* redegeris? Mortuam ure, & adure centies, ſemel elicito *Sale* per combinationem noſtrorum *Pugilum*, nil ultrà illius elicies, aut exprompſeris.

Sin aduſtio efficeret, quodlibet combuſtibile æqualiter *Salis* fuerit ferax: nec enim *ignis* interventu ulla progeneraretur diverſitas, ni prius infuiſſet. Quî ſapidam verò reddiderit terram ignis? Secernit uſtio heterogenea, & ſyncera profert, quæ invenit incombuſtibilia.

Ignis quid imprimeret, quid ad communicationem geſtaverit? Vinculum ſolvit unionis, non verum miſtum producit. Quid *Salſedinis* Lateri exprompſerit, quid aliis, quibus noſtri *Pugiles* deficiunt?

Sane *Sal* omnis à Terra differt toto cœlo. Cineres plura incluſa

gerunt,

gerunt, quam terram ſolam. Quî alias Aqua iis affuſa *Salem* vel *alcali* merum eliceret? ab *Aquâ* certè nulla vis coagulandi procedit. Nec terra ſola in humido unquam liqueſcit. Ut ergo *Aqua* non geſtat *Salem*, ſic nec *Ignis* communicativè.

Quid quod ſine flammæ adminiculo ut Vinum à ſe Tartarum, ſic Terra nitroſa *Salem* egurgitet. Etiam *Muria* coctione ſolâ in hunc faceſcit. Comparet *Sal* in decoctis herbaceis, abſque ignis immediato acceſſu. Quinimò vel leviſſimo calore *Sal* provenire ſolet volatilis: ut adeò ad cinerem rem quamvis redigere non opus ſit, ut proventus Salis fiat. Fruſtrà ergò tu Salem cum Terrâ confundis. Non aſſurgunt contradictiones tuæ ad Veritatis ἀκρίβειαν.

Ignis reſolvit compedes, abligurit quiſquilias, ut immediatâ copulâ emergant *Alcali*, & *Acidum* rerum quarumcumque. Sin nimis ille torquet, fugit & avolat *Acidum*, relicto ſolo *Alcali*: alias ab aliquali derelicto *Acido*, *Sal* genium & formam ſuam haurit. Alibi autem ſolet

solet *Alcali* exhibere *Acido* acceptissimum thronum, ut fons vitæ uberrimus manet, & horreum efficaciæ, motus, mutationisque aperiatur.

Sic admirabili clave fundamenta reconditarum panduntur proprietatum, & cuivis motui interno radicale & vivificum exhibetur principium. Agrestis illud docet experientia, dum Terra redivivâ animatur quasi pinguedine, & renovatâ fertilitate beatur, quum dispersis saturatur cineribus. Hinc deflagrata Rura, incensique Campi, alias nemorosi & horridi, uberiores dant proventus. Et nostris deficientibus vel absentibus *Pugilibus* sterilescit omnis Terræ fractus, & vegetante virtute spoliatur.

Frustrà *Sali* hi asscribuntur effectus à Vulgaribus. Non sunt cineres hi elixiviati, nec tam combinati *Pugiles* sub his, ut Salium nomine dotari debeant. Occultantur adhuc, & licet deliberati à compedibus, suoque restituti vigori, nondum tamen coagulati, sed dispersi manent.

Igitur ineptè etiam *Salium* omnipræ-

præſentia vel exiſtentia univerſalis hactenus deprædicata eſt. Generalis intuitus ſalinæ compoſitionis in ſubjectis falſus quidem. Fateor non degere vitam humaniorem ſine manifeſto *Sale*, at utrumque Coſmum ſine occulto non degere, falliſſimum eſt. Non abnuo, omnem vitæ leporem *Salium* nomine indigitatum antiquis: etiam amicum Deo corpus *Platoni Sal* conceptum: nec conſtitiſſe ſine Mola ſalſa Veterum ſacrificia: homini *Salem* cedere in condimentum: ab animalibus eum lingi è fæculentiis: *Venerem Saligenam*, natamque Salo dictam: *Salſum Mare* hinc animalium varietate prolificum: quin & oneratas *Sale* naves Murium copia, & congerie refertas: Nihil ſine *Sale* perfectum eſſe tamen, pernego. Fruſtra occinas illud Poëtæ:

Salſa para, qui grata paras dare munera nobis,
Munera ſalſa placent, nec niſi ſalſa placent.

niſi jocum velis. Omnem naturæ campum à *Sale* compleri, ineffabili efficacia: in hoc omnia vitæ con-

conservandæ secreta latere, concedere nequeo.

Verum sin de *Alcali*, & *Acido*, ut principiis quidem salinis, elogia omnia intelligantur, tolerari possunt. His enim vivimus, his conservamur: Spiritibus hinc productis ut Fertilitas vegetantium, sic & perfectio debetur animantium. Hisce binis trahentibus, trudentibus compelluntur ad germinationem Vegetabilia. Non producit Terra fructus, ni *alcali* & *acidum* in quovis Semine excitentur, commoveantur, commisceantur.

Ab his *Fermenta* quævis dependent. *Panis*, *Cerevisia*, *Vinum*, & alia omnia non aliundè suam bonitatem trahunt, dum Artifex obstetricante manu complet Naturæ munia, jungendo, temperando, miscendo, liquando, exaltando.

In his omnis *Artis Medicæ* gloria desidet: his viget illa, florescitque *Sanitas*.

Sine horum congressu præcedenti non turgerent Fimeta *Sale*, non salso madore fluerent reliqua corporis, non proventum exhiberet vola-

volatilium Sanguis, nec Urina, nec Bilis *Sale* diffluerent; ut taceam præternaturalia, Scabiem, pustulas, Ulcera, Sudores instar stiriarum linteaminibus agglutinatos, & infinita alia Quid pluribus hæc generatim? Meridianâ luce clarius est, quod *Alcali* & *Acidum* ubique primas tenent.

PALÆPHAT.

Non agnoscit Alcali vel Acidum citrà salsedinem. absque his Salem ab igne produci contendit.

Quantum spiras Pyrgopolynicem! Nihil tamen, nisi quod ex trivio, præter Speculationes inanes. Certis in Experimentis, quæ promiseras sola, defatiscis. Unde enim hauris, & concipis *Alcali*, aut *Acidum* in Universo, nunc Salsum principiantia, nunc seorsim in utroque Cosmo dominantia? In ipsâ re nudior es *Leberide*.

Acidum rebus quibusdam naturale non abnuo. *Alcali* nonnisi ignis productum est: fixum, & constans hinc factum. Quod *volatile* est, confundi cum eo non debebat. nec *acidum*,

dum, nec *volatile* quodvis per violentum ignem constat.

Quidni autem *Ignis* particulis terrestribus exsculperet *Salem*? hujus ille creatura, modò terram convenientem nactus fuerit. Ex inutili, damnatâ, saleque jam ante spoliatâ terra quod non producat, nil interest. proportionatum sit oportet agens, & objectum, ut aliquid progeneretur. Caput mortuum integra non est materia, ex qua *Salem* eliminet *ignis*. Cinis semel elixiviatus, inhabilis est, ut in *Salem* convertatur. Lateres quoque igniti damnata terra sunt. non sane omnia ex omnibus generare potest ignis.

Quid tu autem, præexistere necessariò *Alcali* & *Acidum*, contendis? Undè concludis? Nec *Sal*, vel Salsum quid ante cineres, nec tui commentitii *Pugiles*. Sin præfuisset *Acidum* & *Alcali*, quur non in *Salem* migrarunt, ante ignis violentiam? aut quur sibi constiterunt?

Ipsum *Sal* resinæ cuiquam immixtum ab igne abliguritur. Quin nequidem hoc sub sua specie durabile est. juncta pinguedine in aqueum redu-

reducibile liquorem. destruitur sic *Salsedo*, dum in aquam insipidam migrat. Mutat speciem, figuram, quantitatem, & omnia: non concreti saltem natura variatur, sed id omne, quod ad esse ipsius pertinebat.

Vitriolum, *Nitrum*, *Salem communem*, & confinia examinare nunc non libet. Possem aliàs tam nativis, quam factitiis conspicuum reddere, quod disceptamus. Sed quid opus? Dædalus mihi alter eris; modò Experimentis probatoriis ostendere possis præsupposita.

NEOCHM.

Urgendo prædicta, Exemplum Saponis subjicit, ut evincat, quam occultim latere queant Pugiles.

Forsan nil effecero Experimentis, quia in ipsa meridie cæcutire pergis, nec terrestres particulas quidem puras disterminas à reliquis. Nulla *Terra* conveniens subjectum igni est, cui *salem* eliminet, nisi quæ scatet *alcalicis*, & *acidis* particulis. quæ illis exspoliata, non est proportionata, nec habilis, quod sine his inhabitantibus *Sal* nullus producatur.

Fru-

Fruſtrà Pinguedinem allegas, ſub qua in aquam *Sal* tranſeat. Deperdita Salſedine, & ſocietate *Pugilum* exuta, in Oleum tamen illi vel pinguedinem migrant, & eſſentialiter permanent. Quin etſi aqueus inde prognaſcatur liquor, agnoſcit tamen ille horum atomos.

Evidentiam hujus exemplo promam: Abſterſiva Virtus, & Saponaria ineſt omni *alcali.* Cineres alcalizatæ cum calce miſtæ lixivium reddunt congruum, ut id cum pinguedine proportionata percoctum *Saponem* fundat. Occultum heîc *alcali* & *acidum* eſſe quis negaret? Salſugo per obliterantem abundantiam Pinguedinis exulat: acrimonia omnis Salina deliteſcit, & fugit ſenſus. Viribus interim & efficacia innoteſcunt *Pugiles.* hinc tam affabre à Sapone exterguntur Linteamina.

Sic docet ars naturæ molimina in receſſibus ſuis ſat evidenter. Docet aliàs, quum occulta circulatione *alcalia* mutat cum Oleis propriis in Entia mirabilia. Sed non ego nunc hæc.

Tu

Tu aves ſcire, qua ſubnitar *Experientiâ*, quid inſumſerim laborum.

Per triplex ergò Regnum rerum naturalium mecum vadas oportet. Tripliciter Particulas Pugilicas miſtum omne componentes monſtrabo, at preſſo ſaltem pede: ſimul inde ex earum mutuo; varioque complexu qui fluant effectus, pateſcet. Excipe autem prius cenſum Mineralium.

PALÆPHAT.

Conjecturas non vult inanes, at certa Experimenta.

Conatus tuus erit irritus demonſtrandi, ni adminiculis utaris certis. inanes conjecturæ & Chymæricæ ſubtilitates nihil probant. Nec univerſales quidem concluſiones è particularibus deſumi exemplis poſſunt. de *Sapone* allata inſtabilia omninò ſunt.

Salſedò ſub pinguedine occultata quid tuis conduceret *Pugilibus?* In calcem, in cineres ſalinam introduxerat formam *ignis*. his autem elixiviatus *Sal*, & cum pinguedine percoctus quod remaneat, nihil miri ante aduſtionem igneam nec

nec *alcali*, nec *acidum* aderant. Tu quidem terreſtribus particulis juncta illa apprehendis, ego verò nego.

Mitte fabulas: mitte, quæ ad Adraſteias normam revocari nequeunt. Sin nulla ab arte violata prompſeris, multò facilius aſſenſum invenies. Procede ita ad Mineralia, ut manium fabulamentis me non detineas.

NEOCHM.

Conſtitui Mineralia à Pugilibus, probat ex eorum Reſolutione, Depuratione, & Præcipitatione.

Fabulæ forſan tibi, quæ aliis dulciſſima ſunt Artis ſecreta. Vide ſis modo, ne cæca in Vetuſtatem lubidine à veri indagine abducaris. hanc niſi foveres, abderes te mecum in reconditiſſimos Terræ ſinus: intima ſimul ſcrutareris penetralia; & quomodo ubivis *Alcali* & *Acidum* ſua teneant veſtigia, invenires.

Certè horum congreſſu quodvis *Minerale* in ſua concreſcit ſpecie. Coctionis & coaleſcentiæ eadem inſtrumenta, quæ depurationis, & Me-

& Metallicæ Præcipitationis ſunt. Utrobique enim verò præſentia illa, quia procedit *Naturæ* opus, ſicut *Artis*. Non aliundè equidem impuritas *Fodinarum*, quam ab infarctu *Acidi*. hoc latitat occultum in earum Sulphure, utque procurat cuivis *Metallo* ſuam conſiſtentiam, ſic quoque impuri coaguli cauſa eſt. Ubi *Alcali* aliquod alienum adjicitur, alliciendo ſibi *Acidum*, in cauſa eſt, ut ſegregentur heterogenea, ac ſeparentur. *Alcali* ex conflagrato Sulphure, dum flamma accedente perit, & aufugit *Acidum*, dominium acquirit. Hoc igitur, ſive concrematum *Tartarum* confundunt, commiſcentque *Metallarii*. Sic conſorbet *Alcali* confuſæ unionis vinculum, & ſibi unit *Acidum*, unde depuratum præcipitatur Metallum.

Obvia hæc eſt *concretio*, obvia quoque illa *Reſolutio*, & licet vulgaris, proceſſus tamen Naturæ ad progeneranda *Metalla* inde ſat colligibilis. Cujuſvis nimirum Mineralis peculiare Seminarium eſt, cujus præcipua pars illud *Alcali* hujus

latibu-

latibulum dum invenit *Acidum*, insurgit in ſui generis concretionem metalliferam: Arctiori unione quidem, & perfectiori congreſſu, quo purioribus ſeminiis incluſum. hoc jus cognationis, ille mutuus reſpectus, qui inter *Alkali* & *Acidum* ſempiternus eſt, prora quoque & puppis totius coalitionis manet.

Punctum autem ſaturationis ſuæ peculiare quodlibet habet *Metallum*: hôc ultrà citráque nequit conſiſtere rectum. docemur id evidentibus aliis exemplis.

Omnia Septem Metalla fugiunt cum *Acido* Sylveſtri, & redeunt cum *Alcali* domeſtico, quum hoc cohibet, coërcetque *acidum*. Ipſe *Rex* & *Regina*, ipſe *Sol*, & *Luna Acido* prædominanti auſcultant. Nec ſiſtunt ſe rurſus, ni commiſtum *Alcali* eadem recolligat, & *Acido* ſegregationem imperet. Oculis ut hæc noſtris haurire licet, quidni eadem in receſſu moliri Naturam colligamus?

Ferrum aut *Chalybs* jungit ſe *Acido*, derelictis ſuis ſcoriis: continet enim *alcali* prædominans purius. in

Scoriis nulla ejusmodi cum *acido* affinitas. Quin *Ferrum* non aliundè suam rubiginem sponte trahit, aut scorias projicit, quam quod *alcali* ab *acido* aliundè contracto iniquè subigatur. Vel sola Aqua, sin atomis *acidis* scateat, & eam *Ferrum* biberit, illud in rubiginem conjicit.

Stannum facilè isthuc redigas, ut ludat Salium, vel Vitriolorum varietatem. Solutionibus autem sin liquorem infundas Tartarei salis, ut exsorbeat ad se *Acidum*, quod alienam indidit speciem *Stanno*, sua hoc redit in fundum formâ.

Quam promptam etiam init *Plumbum* cum *acido* quovis amicitiam? Ut mutat pro ejusdem specie suam formam? quo nempe gaudet *Alcali*, eodem suscipit diversi generis *acidum*: hinc illæ mirabiles hujus Metamorphôses. *Cerussa*, *Minium*, *Lythargyrium*, aliaque hinc originem trahunt.

Cuprum, ubi arrosit illud Acetum, æruginem protrudit; nec aliundè sanè ærugo, quam quod Acetum è Cupro exprompserit *alcali*.

Sic combibit Tartareum *alcali* ab

ab *Antimonio* Sulphur acidum, segregatque *Regulum.* hujus minus cadit, sin *Salsum* aliquod adjiciatur, quia minus alterius admittit *acidi*, quod proprio saturatum sit.

Mercurius multiplici suâ metamorphôsei edocet, quid suo contineat gremio. Ut reviviscit *Sublimatus*, quum corrodens *acidum* ejus ab adjecto *alcali* sustollitur? exactissima hæc Vegetabilium proba pluribus postmodum veniet. Nunc quoque, quî suam ludat scenam sub pulvere *Algerotti Vitæ mercurio*, aliisque, non persequor.

Butyrum Antimonii facilius segregat Aquæ gutta, quam quodlibet *Salium* genus solutum. nequidem movetur, aut turbatur *Salso*, quod illius *acidum* congeneri sufficienti gaudeat, nec alienum requirat *alcali*.

Sulphuris pinguedo occulit *acidum*; & quis quæsivisset superficiarius scrutator? docet autem ejus promptissima in omni *alcalico* Resolutio, quam ne potentissimum quidem *acidum* effecerit. Ast ubi in fumum sub campanâ, versum *Sul-*

phur eſt, cogi ex eo Spiritus ſolet, quaſi noviter creatus. nec tamen creatura nova eſt, quum latuerit haud dubiè ſub pinguedine.

Veneris, *Martiſque* concubitu abortivo *Vitriolum* exoritur. Hoc ut manifeſtum circumgerit *Acidum*, ſic in caſu *Colchotaris* monſtrat ſuum *alcali*. nec *ignis* hanc progeniem æſtimes: quippè modò inſtilles ipſi *Vitriolo* aquâ ſoluto pluviali *liquorem Tartari* promptiſſimum ejus videbis caſum.

Quid autem memorem *Vitrioli* ab *alcalium* admiſtâ varietatè varios colores? Quid *Fontium Acidularum* vires tinctorias, quatenus *Spiritus* eorum *acidus* venam arroſit *Ferri*? Quid nativum in illis Fontibus *acidum*, quod cum Sylveſtri per ignem Salibus extracto neutiquam convenit? Quid *Vitrioli*, & *Succi Gallarum alcalici* progeniem, quæ *Atramentum* vulgo? Quid *Cryptographiæ* fundamenta ex actione promptiſſimâ inter *alcali* & *acidum* dependentia? Quid alia ſexcenta hujus farinæ?

Omnia Subterrena præſentiam noſtro-

noſtrorum exclamant *Pugilum*, occultam, aut manifeſtam, majorem aut minorem. digito id monſtraſſe ſuffecerit *in Mineralibus*; tam clarum enim, ut quo nil clarius.

PALÆPHAT.

Concluſiones ab externis & alienis Reſolventibus, depurantibus, & præcipitantibus ad intrinſeca Mineralium conſtitutiva rejicit.

Quam claritudinem venditas? Quid tibi in ejuſmodi ſubſumptis applaudis? intolerandæ tuæ in univerſum è particularibus concluſiones; hiſtrio mihi vidêris, nativa cui deſit facies. Quam enim frivolum ab impuritate *Mineræ* ad ſpecifica quævis *Metalla* argumentum? Quam ficulneum ab heterogeneo coagulo ad homogeneam, & perfectam ſubſtantiam?

Tam ſolida, ut *Aurum*, *Argentum*, &c. tam in ſuâ quæque ſpecie conſummata concretioni ſalinæ probè aſſimilaveris? Quid etiam *Acidi* potentiam urges in abligur-riendis *Mineralibus*? Alienum videlicet, & ſylveſtre id *Acidum*, quod in *Aquâ forti*, in *Aquâ Regiâ*, aliiſve

Spiritibus Tyrannidem exercet, à violentiâ igneâ mutuatam, genuinum, & cujusque nativum quâdam probabilitate astruxerit?

Eâdem improbâ sequelâ affinitatem, aut cognationem cum specifico cujusque *alcali* assignas, quasi parietes in cimmeriis tenebris palpares. Recollectione ergò non opus est eorum, quæ de *Stanno*, *Plumbo*, *Ferro*, *Antimonio*, *Mercurio*, *Sulphure* crepas. Nihil enim his adhuc firmiter conclusum perspicio.

Exspectata seges vanis hinc ludit aristis.

Resolvantur in varias formas hæc Mineralia, & reducantur tuis instrumentis, quid tum postea? aliena & externa resolventia, & reducentia producis, non insita, & intrinseca.

Quænam genuina affinitas inter Corrosivum, & Metallum est? destruit illud hujus formam, figuramve: Ablatione Menstrui corrosivi fit reductio. transeunt nimirum salini spiritus per corporum Metallicorum minima, & redigunt eadem in atomos.

Tar-

Tartarei Salis liquor, quem tu universale reductionis instrumentum velle videris, quatenus corrosivis cognationem debeat, copulet se his, congrediatur, ut fiat atomorum Metallicorum reductio, reunio, & casus: nulla hæc proba est, quia genuinum nec resolvens ullum, nec reducens in quoquam Minerali producis.

Solius *Aquæ tepidæ* infusio quum secretioni adhibetur, ubi tum *alcali* tuum? Liquoris copia distrahit, segregatque *acidi Menstrui* vires, unde Minerale deliberatur à suo resolvente. nil hôc planius.

Resolutio & præcipitatio Euripus tibi sunt, è quo enatare nescis. flectas, oportet, oculos ad plura simul, quam tuos *Pugiles*: his determinari angustiis detrectant *Mineralia* Vix ex iis perfectis *Salem* expresserit Chymiæ gnarissimus, licet ipsius *Jovis* fulmen provocaverit: nimium ergò tuis promittis laboribus. immensa omnium mineralium differentia est. cuique speciei sua proprietas. Quid eodem censu censes omnia? desine harum nugarum imposterum.

NEOCHM.

Declarat ulterioribus præcedentia. à Cryſtallis metallicis, ab iis potabilibus, à Menſtruis binæ conditionis argumentatur.

Exue tu potius pertinaciam: reſurge è veterno. Demonſtratâ in Mineralibus noſtrorum *Pugilum* præſentiâ, copulâ, & virtuoſâ actione nil evidentius. Non aliunde Solutiones, & Præcipitationes: & his illi firmiſſimè ſtabiliuntur quoad præſentiam & cognationem. Simul in eodem ſubjecto haud aliter demonſtrari queunt. Impedimento eſt hujus vel illius dominium, quo occultatur, & ſupprimitur in ſingulis alterutrum. dominio dejecto comparet utplurimum, quod antè diſparuerat.

Quin arctos adeò confeſtim ruunt in amplexus, ſibique agglomerantur, ut nequeant demonſtrari, niſi augmentum acceſſerit externum. Ex ſupereminentiâ autem alterutrius *Reſolutio* in coagulum tendit æqualitas utriuſque. Externum adjutamentum huic vel illi dominium procurat,

curat, dum aut ſibi aſſociat alterutrum, aut dejicit.

Nec Solutio, nec Præcipitatio ab extraneo fierent, ni illud præſens ſibi è ſubjecto aduniret. Quid? quod ab *Acido* in præceps datum, adeò ut plurimum imprægnatum *alcalico* reperire eſt, ut ſenſus examen ſuſtineat. Exaltatio ergò, & præpollentia alterutrius, divulſionem, & divortium procurat. Nova unio, nova amicitia conſortium vetus divellit.

Corrodunt Metalla Spiritus Acidi, quatenus ſummè prævalent. in corroſis quod *alcali* inveniunt, ſibi cryſtallatim uniunt. hâc non prægreſſâ unione, *Cryſtallizatio* non procederet. Elegantes ſanè hinc ex *Argento*, *Ferro*, *Cupro*, *Stanno*, *Cryſtalli* efformabiles. quin elevari hi à ſuis ſubjectis & ſublimari non detrectant certè Salis in Metallico corpore deliteſcentis firmiſſimi indices quidem hactenus crediti; Verum nonniſi ſalinorum principiorum ſunt, quatenus *Alcali*, & *Acidum* firmiſſima unione concludunt.

Ut adeò Chymiæ peritis inſulſè

exprobraveris impoſſibilitatem extrahendi *Salem* è perfectioribus Metallis. Reverà affines Salinæ ſubſtantiæ Cryſtalli ſunt, & ſufficiunt probandæ præexiſtentiæ *Alcali* & *Acidi* in Metallicis corporibus. Quid quod fixiſſimum *Metallum* quodque, ab *Acido* calcinatum, & à ſpirituoſo ac volatili *Alcali* reſolutum, ſin id ſat acutum fuerit, in tincturam, liquoremque reduci poſſit potabilem? Potabilia ſanè *Metalla* niſi vim, indolemque amborum noſtrorum *Pugilum*, nihil magis urgent, & clamant. Quò ergò objectionum tuarum nullitas? Veritatis palma, quo arctius preſſa, eò ſurgit altius.

Aquæ ſimplicitas ad præcipitandum & ſolvendum idonea à te allegatur. Eane ergò ſimplex ita, ut halitibus *alcalicis* vel *acidis* ex aëre, terrâve profectis, vel innatis imbuta non ſit? Certè his acuminatur variè, his prægnans ejus eſt, & promota activitas. unde non omnis æqualiter omnibus ſecernendis idonea. Stipata particulis *alcalicis* tincturas recipit *acidas*: *acidis* exacuta

cuta consociat sibi *alcalicum* omne.

Profectò & *Aquæ*, quam vulgus simplicem auguratur, & *Menstruorum* omnium diversitas duplex adeò. Eorum *alcalica*, & *acida* in omni circulo facilè advertenda discrepantia. Cur autem nunc stipem hanc duplicem eorum classem memorabili numero? Idoneum *Menstruum* cuique dissolvendo sit oportet: sic congeneis sibi in amplexum raptis, displicatio particularum subsequitur. ni adhibueris è conformi classe intactum relictum videas corpus dissolvendum. Ubi *alcalicum* prædominium, ab *acidis* sortiris effectum: sin aliud, etsique *salem tartari*, neutiquam.

Compactissima duplici unione corpora Metallica *Stygiis ab Aquis* solum referantur, quia vinculo fortissimo innexa. Vix violat eadem ignis: his tamen Aquis minutim confringuntur, quod *alcali* nôrint exuere: hoc ergò quia atomis imperceptibilibus in amplexum ruit acetosis Menstruis, pervia sunt, & redduntur illa. Nec opus, ut diversis cogitatibus ad causas prædi-

ctorum eruendas exerceamur, modò bono animemur genio.

PALÆPHAT.

Reprobat, quicquid de concretione Metallifera, & duplici Menstruorum classe prædictum.

Assurgerem ego genio illo tuo, modò experimentali animaretur certitudine. Vis metallifera cujusvis seminio ingenita num vinculo indigeat salino controversum hactenus manet. Exhalationes, & Succi metallescentes quâ expediantur vi, dubiis suis nondum extricatum. ne fundamentum quidem compaginis, aut concretionis per *Alcali*, aut *Acidum* probabiliter expedire nôveris.

Perfectiora *Metalla* solidæ adeò concretionis, ut nonnisi in partes divellantur integrantes. *Stygia Menstrua* vinculum quidem unionis externum, non verò particularum minimarum integritatem disrumpunt. Pristina Calci mox redit forma, ubi minutiæ à corrosivis involventibus deliberatæ liquantur, & coëunt. nec enim sunt *Salia Metallica*, *vel Crystalli*, nisi particulæ minutissi-

nutissimæ Menstrui, & metalli conjunctæ. hinc tam facilis rediviva omnium indoles. doceri hæc quisque experientiâ potest.

Recrementa verò Metallica, & quæ iis æmula factitia quæque, alterius indolis sunt. Sin his *Alcali*, vel *Acidum* extorseris, nihil id in universum.

Quid autem *Aquarum*, aut *Menstruorum* diversitas bina, cui arma è duplici tuo promptuario comminisceris? igneæne etiam particulæ, quum solæ Aquam viribus mixti imbuunt, has in classes referendæ? Quæ affinitas cum *alcali* vel *acido* in *Rore majali?* quo Menstrua Oleosa, *Therebinthinæ*, *Juniperi*, & aliorum Vegetabilium reduxeris, quibus tamen dissolvuntur, quæ intacta manent tuis *pugilicis?*

Et quid fiet *Universali Menstruo*, inter cujus *Adeptos* num tu numerandus, incertus sum? Sed nec opus, his ut inhæream. Quod stringit in Menstruis, nullatenus idem est in corporibus dissolvendis. Certè *Hermetem* ex orco reducem, per novam metempsychosin, pecto-

ri

ri tuo infusum, nondum percipio.

NEOCHM.

Recrementa urget Metallica, & eorum promptam Regenerationem è Sale Tartari, vel proprio Colchotare.

At ego *Scoti* animam tuo immigrasse conjicio, adeò ludis sophismatis, & incredulitate laboras. Nil admiserit obstinatum tuum præjuditium, etsi fides ipsa juramento se obstrinxerit. Ipsismet in *Recrementis Metallicis*, & concrescentiis imperfectioribus non admittis *Alcali*, & *Acidum*, principia velut constitutiva, ut audio.

Numnam ergò in *Vitriolo*, *Alumine*, *Nitro*, & consimilibus manifestum dominari *Acidum* negaveris? Atqui etiam in eorum omnium Colchotare ipsis sensibus deprehensibile *Alcali* est. Et quid si eorundem per Salem Tartari *Regenerationem* produxero?

Stabilit sanè *Sal Tartari* genesin horum apertissimè. Medio illius reviviscunt etiam per ignem destructa. Communi veste tartareus Sal suam ludit ubivis scenam, quin alienas

nas ſumit formas ab his, quibus unitur.

Saturatus Vitrioli Spiritu, & illius *acido* embryonatus, quod ex eo crudo ſoluto confit, ſiſtit *Vitriolum.* id Artis opus argumento monſtrat herculeo Vitrioli exortum. Sed *punctum ſaturationis* Ars non adeò benè aſſequitur, velut Natura. Quocirca ſin guttatim *alcali* tartareum exſuperet liquorum vitriolicum, vel hoc illud, miſtura vertitur in hujus vel illius progeniem. Hinc Spiritus è *Tartaro Vitriolato* prolectus diverſus eſt, intermediæque naturæ utplurimum, nec *acidus* ſcilicet, nec planè *alcalicus.*

Verum enim verò non ſolo *Vitriolo* hæc palingeneſia familiaris. Quin *Spiritus* quoque *Salis* ex tartareâ coagulatione in *Sal commune* revertitur. *Spiritus* item *Nitri*, *Aluminis*, ac aliorum ſua reinduunt corpora è tartareo ſale. nec enim vis cauſtica ulla hanc ſubactionem pervertit. Igitur Regeneratio hæc ſtabilem ſatis promit concluſionem de naturæ proceſſu.

Quid adjiciam cohobationem, & copu-

copulam capitis mortui singulorum Recrementorum Metallicorum cum suis exstillatis? inde sanè prompta regeneratio æquè facilis, antegressa, quam resolutio. *Acidum*, quod per violentum ignem aufugerat, fixato *alcali* suo redditum, absque clade sistit idem corpus. Reinduit è *Sale tartari* suum corpus *Vitriolum*, reinduit è suo *Colchotare*: reinduunt *Nitrum*, *alumen*, *Sal communis*, & reliqua in Spiritus acidos prius redacta. Fiunt hi Spiritus denuò, quod fuerant validum ante ignem. redeunt in corpora, quæ per violentiam amiserant. tolerant hanc metamorphôsin artificialem, utpote naturali suæ generationi congruam. Quis autem hanc lucem respueret in tenebris?

PALÆPHAT.

Regenerationem hanc parvi momenti censet.

Heus trismegiste! quæ lux hæc in tenebris? *Tartarum vitriolatum* quantopere descîscit à naturâ Vitrioli? destructum scilicet est *Vitriolum*, & in aliud ens commutatum, à quo non

non datur regressus. nullæ adeò manifestæ vires *Vitrioli* in *Tartaro vitriolato*. prolectus inde Spiritus est diversus. Hausit vim Tartari, nec quidem vergit in dominium Vitrioli per ignem fortem.

In *Colchotare*, velut insulsâ terrâ omnis exulat efficacia. quin ulterius uri, & exui omni potest *acido*, quicquid adhuc illius adest. Admittit quidem ab aëre volitantium corpusculorum impressiones, hincque linguæ acorem objectat, quandoquidem aër his turgescit vaporibus. Ast omne corpus ignem passum ita est apertum. Compara ergò *Colchotar* ipsius vitrioli, compara aliorum, quæ in exemplum allegasti, cum *Tartaro Vitriolato*, vel aliis è Sale tartari regeneratis. *Colchotar* ab aëre imprægnatum rursus eundem exhalat Spiritum, non *tartarus vitriolatus*, non alius sal regeneratus. *Acidus* ille est, nec ullus talis eliciendus regeneratis. arctior enim salis tartarei copula impedit regressum *acidi*. Parvi ergò momenti *Regeneratio* stabiliendæ tuæ hypothesi est. majoris foret, sin diversitas,

quæ

quæ in his Recrementis metallicis intima, ulterius extendi posset.

NEOCHM.

Effervescentiam, & nixum Explosivum in Mineralibus, in subsidium indeclinabile sumit.

Quidni extenderetur in universum mineralem circulum? Omnium censum subeunt *Acidæ*, & *Alcalicæ* particulæ. nec Recrementa, licet eas promptius exhibeant, adeò diversæ à cæteris Metallis indolis sunt, modò imperfectionem demas. Ubique latent, sed his magis obviæ, & abundantes: nuspiam absunt, nisi per violentiam demantur. Et quid opus, artificiosæ *Regenerationi* inhæreamus?

Quæ in oculos cadit omnium, *Effervescentia*, velut effectus *Acidorum*, & *Alcalium* propriissimus, veniat. hic enim motus, & fervor: ille impetus potissimum inter Mineralia spectandus: nullibi adeò excellens, aut evidens est. *Lixiva* quod affusis *Acidis* incalescant, quod efferveſcant, ac impetuosè subsultent, ex trivio est. Specimina ergo singularia subdere non opus habeo, & nauseam

ſeam pareret omnium exhibita ſeries.

Cauſa haud eſt infenſa hoſtilitas quæpiam, quæ inter *Acidas*, & *Alcalicas* interjacet particulas: nec congreſſus *pugilicus* eidem ſtabilimento eſt. Mimica enim ſaltem diſcordia inter *efferveſcendum* comparet, quum tragicæ omnes furiæ mutentur paulò poſt in ſoccum. Eò ſcilicet arctior unio conſequitur, quo particularum *Acidarum*, & *Alcalicarum* intimior, fervidiorque congreſſus.

Sin alicubi vim Exploſoriam nanciſcantur, ut in *Chryſoceraunio pulvere*, ut in aliis quamplurimis; tum particulis utriuſque indolis violenter & impetuosè ſibi abruptis ſtrepitus ille in aëre debetur. Nec vis hæc fulminis æmula exſeritur, ni *alcali* nimium ab alieno adjecto invaleſcat, aut ab *Acido* alio, laxatis celerrime amplexibus, avocetur. Hunc in modum non abſque reniſu exaltatum ubivis *Acidum* ſubigit *alcali*: adeòque videtur tyrannicè ſuo imperare compari. Hinc illud clauſtro violenter revulſo, & effracto

carce-

carcere emergere conatur. Sic ubi nancifcitur impetum, violenta ab anguftiis redit libertas, fpatiique amplitudo enormis capefcitur. Sed hæc commotionis vehementia non fibi ubivis æqualis: & fervor ejufdem intenfionem confequitur bullarumque ftipamen, licet vifcidum, haud difficulter difrumpitur.

Igitur *Effervefcentia* fpumofa, prævia faltem quafi Salutatio eft. Quin fubfultus luctam fimulat, quandoquidem adverfitas, quæ adeft, in amicam definit pacem. Nulla heîc comminifcenda Antipatheia; nulla Antiperiftafis. Non fugiunt, aut fugant fe *Alcali*, & *Acidum*, fed *pugiles* funt mimici, aut apparentes. Quo fe ftrictius combinent, fe particulatim atterunt, fervore, & fumo fubfequentibus mutuam attritionem. Quin è latebris utrinque profiliunt, & in mutuos indefinenter ruunt amplexus, unde colluctari, turgefcere, & ebullire videntur. Verum impetum nancifcuntur explofivum, aut quaquaverfum diffiliunt, validiffimè conclufi. Adeò nimirum conjugium fibi naturale affectant;

fectant; tam vehementi instinctu sibi maritari postulant.

Quocirca vel sola *Efferveſcentia*, tam obvia, & hodiè decantata summovere incredulitatem tuam si nequeat, quid unquam possit? Comparet illa, & artificiosâ manu produci potest tam in perfectis, quam imperfectis Mineralibus. Nec *Aurum*, nec *Argentum*, nec reliqua omnia hanc recusant, dum convenienti copulâ eorum *Alcali* cum *acido* sat forti, & congruo jungitur.

PALÆPHAT.

Efferveſcentiam ab igneis conclusis particulis, & Aqueis, in se agentibus deducit.

Jam ergò tandem *Efferveſcentia* Mineralium balista est, cui succumbere debeam? *Efferveſcentia*, quâ Cerebrum omnium hodiè æquè gravidum, ac *Jovis* erat olim *Pallade*, quum *Vulcani* securim imploraret. Hæc, quâ tanquam *Meduſæ* capite objecto stat attonitus Orbis; quæ in dubiis Macro, & microcosmicis sacra anchora, unicum in angustiis morbificarum causarum perfugium;

Quæ

Quæ equidem Cerei inſtar Naſi quemvis explicatum ſuſtinet, dum ſurdæ naturæ narratur fabula, & ſub grata metaphorâ oculis, & auribus egregius fucus fit.

Quâ autem dexteritate nunc illa in ſubſidium tuum venit? *Pugiles* tuos Mineralium omnium familiam agnoſcentes eam procurare ſuſtines. *Alcali*, & *Acidum*, velut ubivis copulam, & conjugium effectent, ſic in Mineralibus disjuncta, & ſegregata, illud nón recuperare, abſque prævia *Efferveſcentiâ*, velut mimica pugna, & coitionis præludio.

Haud diffiteor particulis Mineralium familiæ expromptis, ſibique rurſus copulatis obtingere *Efferveſcentiam*. Stygiæ Aquæ, & Spiritus Acidi fixis Salinis jugati manifeſtè incaleſcunt, ebulliunt Nec ſine æſtu *Aurum fulminans* paratur. *Butyrum Antimonii* à Spiritu nitrario imprudenter confuſo ipſam non recuſat flammam. Myrias conſimilium à legitima Chymicorum proſapia in lucem protracta eſt. Nec tamen ullus in his tantus *Eurypus* illi, qui alienus à tuis hypotheſibus.

Ignea

Ignea enim sola sobolis est Mineralium *Effervescentia*. Et Aquæ stygiæ, & Salia fixa status suos diversos ab igne sortiuntur. Ubi igneæ particulæ sublatæ, exstinctæ, aut nullæ sunt, ibi *Effervescentia* non comparet. hæ sub Aqueis conclusæ, confusæ, dum strictim latebris excutiuntur in manifestam commotionem, fervorem, & ebullitionem erumpunt. haud alius ullibi, quam intestinus particularum ignearum, & aquearum congressus. Exsuscitantur *igneæ salinis infixæ*, exsolvuntur, & ad æstum promoventur: Exsuscitantur aliis omnibus.

Verum igneæ illæ particulæ non semper ab empyreumate contractæ sunt: etiam internæ, etiam connatæ, *Effervescentiæ* causam præbent. hinc nullum quoque experta ignem externum effervescunt, modò latentem, sufficientem, & integrum possideant. Cruda *Gypsus phœnicia* ab hoc effervescit solo. *Creta*, *Sigillata Terra*, *Corollaria*, *Oculi cancri*, & alia, ignem licet non subierint, latenter tamen innatum continent. Ex simplici

plici hæc non ita fervent Aqua, quam per ignem producto quopiam Spiritu.

Aliis hunc pugnæ modum sufficientem etiam ostendit *Aqua dulcis*, velut quum igni culinario admovetur. *Crocus Martis* calcinatus ab aquâ ebullit gelidâ. *Lapis calaminaris* solutus nitri Spiritu, & exsiccatus, ut remaneat *Acidum*, & exhalet *aqueum* Superfluum, ab affuso Vini Spiritu inflammatur. Concentratæ inibi particulæ igneæ tum emergunt, ut suas agant partes æstuando. Quid quod sub Aquosis etiam igneæ altâ frui pace queant, quod insoluta misti compages, & aqueum domicilium inderelictum? Igitur ad ænygmata *Alcalium*, & *Acidorum* recurrere non opus est, ut *Effervescentia* suis in causis stabiliatur. Veris non ludis elegantiis hactenus.

NEOCHM.

Effervescentiam firmissimum præbere inditium Alcali & Acidi præsentium confirmat. Ab Acidi actione in alcali rerum Coagulum deducit.

Igi-

Igitur igneæ particulæ cum aqueis ad *Efferveſcendum* tibi ſuffecerint? Quas ex *l.* 1. *de Diætâ Hippocratis* ante allegatas non dignabaris ſubſumptione, nunc *acidis*, & *alcalicis* præponis? quin ſano ſibi ſenſu congruunt. quod flammeum, & igneum, non adeo à *Salinâ* naturâ, vel *acidi*, & *alcali* ſylveſtrium miſturâ diſcrepat, modò gradus differentes interponas. nec rejicis *pugilicas* noſtras adeò, quum igneas, & aqueas comminiſceris particulas ad *Efferveſcentiam* habiles. tantò ſatius interim illas retinuiſſe fuerit, quantò ad *Efferveſcentiæ* naturam exprimendam convenientiores.

Benè autem quod *ignem externum*, vel *empyreuma* omni non præſtituas. Longè ampliorem continet rerum ambitum, quam earum, quæ experta ignem ſunt. Videas ſuſcitatam terris cretaceis, bolaribus, Cancrorum oculis, ac infinitis aliis, quibus nullum cum igne externo Commercium. Quale autem crimen fuerit his *alcali* prædominans concedere? Sin igneæ in his alta quandoque fruuntur pace, quidni & *alcalicæ*?

Acida sanè omnia his admista mitescunt, acoremque deponunt, quia *alcali* supereminenter illa inforbet. Sed censum hæc Mineralium excedunt.

Sulphur & sulphurea ruminemus. non commoventur quidem ab *acidis*, nedum ut effervescant. quam autem ad accensionem, vel flammæ admissionem prona? occultum sub pinguedine *acidum* satisfacit *alcali*, neutiquam in Sulphureis prædominanti: hinc cum alieno commista *acido* non effervescunt. Ubi Spiritus Sulphuri per campanam elicitus, ille liber ab obtundente pinguedine, ubicumque *alcali* invenit, commotionem excitat bulliferam. At quid his immoror?

Manifestissimus effectus *Alcalium*, & *Acidorum* est *Effervescentia*: conclusio ab eâ infallibilis ad horum præsentiam. Commiseratione dignus es, quod in negotio tam vulgato diffidia quæris. Quid fiet de occultis, sin in manifestis tam immensum deviare pergis?

Nihil *Silice*, *Calce*, *Vitro* magis obvium. Quod Ignis Silicem in calcem

cem vertat, & in vitrum liquet, conſtat omnibus. Ignem calci incluſum dixeris; hunc per affuſam produci Aquam, ut liber in eam irruat ebulliendo. Sed igneas particulas, ſi quæ diverſentur in *Calce*, num putas detrectare contubernium *Alcali*, & *Acidi?* Certè nunquam alias ſuffenæ forent producendis effectibus illis, qui ſubſequuntur. Agnoſcere illa eſt, quod fragmina vivæ calcis parte aquâ tinctâ incaleſcant, non iſtâ, quæ ſuperemineт. Agnoſcere eſt, quod Calx, quæ deferbuit, nulla uſtulatione denuò empyreuma contrahat. Agnoſcere potiſſimum eſt, quod coagulum inde petrificum ſubſequatur.

Alcali, nimirùm & *Acidum* ſicut per affuſionem aquæ ſolvuntur, ac deliberantur, ſic ſibi quoque committuntur. Atque ita affuſa dum ſolvit aqua calcem, ſibilus, fervor, ebullitio, & fumi propulſio ſuboritur. Quin *Calx* cum ſabulo violenter fuſa in pellucidam devolvitur *Vitri* maſſam. Hujus Fel, vel Anatron ſupernatans ex utriuſque noſtri *Pugilis* permixtione redundat. Sic

ex liquamine, coagulo, duritie difci poffunt. Ex his enim acerefcit *Silex*; his conftantiffimis *Calx* unitur; his *Vitrum* coit.

Haud alius equidem finis *Effervefcentiæ* cujufcumque, quam unio & coagulum, quo *Acidum* cum *Alcalico* corpore coit. Non aliundè ftrictiffimum unionis vinculum omnibus Mineralibus. Ubicumque *Acidum* invenit *Alcali* fuum, ibi tendit in amplexus ejus, & conjugium aut abfque, aut cum folenni *Effervefcentiâ* init. Coagulabile quodcumque fimul adeft, id rodendo quoque fubigit *Acidum*.

Sic Salia omnia granulantur in fuas fpecies ab *Acido*. Omnibus rebus innati glutinis inftar eft. Abfque hoc nec Metallis robur, aut foliditas, nec lapidibus durities, nec ullis aliis jufta fuboriretur confiftentia: quin mirabilis omnium conformatio, & concretio inde dependet. Impreffio vel ab igneis; vel ab aqueis particulis nulla tanta. *Spiritus* enim *Acidus*, fpiritus eft figens: internum fcilicet, & radicale concretionis principium.

Cre-

Creditus hactenus *Sal* πρῶτον δεικτικὸν Coagulationis. Non tamen illud *Sal* est sed *Acidum*, quod quandoque cum *Alcali* in *Sal* tendit, non tamen ubivis istiusmodi copulam init. Promptitudo & aptitudo naturalis concrescendi ab *Acido* devolvitur in subjectum quodcumvis. Separatum à *Sale*, *Vitriolo*, *Alumine*, *Nitro*, aliisque *Acidum* ad coagulandum his ipsismet efficacius, & sufficientius. Ita quidem *Spiritus Salis* Ovi albumen coagulat, ut ne gutta quidem ejus inverso putamini, aut vasi effluat.

Sic Artificialia concreta quævis ad naturæ imitationem *Acido* suum debent genium. Et in variis Subjectis illud ita maritatur suo cum *Alcali*, ut compactam tendat in duritiem. quin adeò sæpè obdurescit, ut divortium nec affectet, nec toleret. Hinc ergò vis Metallifera; hinc Lapidifica; hinc coagulativa peculiarium peculiaris.

Docent illud manifestim Styriæ, Tophique, dum *Acidularum*, *Thermarumve* canalibus accrescunt. docent occultim *Nitrum*, *Vitriolum*,

Alumen &c. & Spiritus vel Succi Lapidifici non tantum circulo minerali, ſed & vegetabili, ac animali intrinſeci. Huc ergò Saxea putamina, huc Oſſa, & Cornua, huc incruſtamenta Piſcium teſtacea, & infinita alia.

PALÆPH.

Non à ſolo Acido coagulationes & concretiones omnes in omnibus ſubjectis proficiſci poſſe confirmat.

Jam ergò ab *Effervèſcentiâ* ad coagulum *Acidi*, cujus illa ſit ſaltem prodromus, prolaberis. Nimirum quoniam coagulatio ſubſequens non aliundè, quam ab *Acido* & *Alcali* efferveſcentibus proficiſcatur. Hinc omnem coagulationem in omnibus ſubjectis ab unico *Acido* ſibi *alcali* ſuum uniente depromis: quaſi nil coagulabile niſi ab *Acido*; & ab eo omnis naturalis aptitudo promptè concreſcendi haurienda.

Ut jam autem dictis de *Efferveſcentiâ* nil ſuperaddam, ipſe tuus *Helmondtius* varios Concretionum, ac coagulandi modos enumerare non negligit per ſuas cauſas. Tu nequidem Salibus aut Salſis vim coagulandi

landi relinquis, nisi quatenus ab *Acido* eam trahant. Quænam hæc in hypothesin futilem insana philautia?

Ubi terrestres, & aqueæ portiunculæ, ad compactionem per ignem sæpe solæ sufficientes? Quid? num concreta & congelata omnia ejusdem esse generis censes? Et quidem ab *Acido* easdem in singulis speciebus obtineri posse figuras, tam regulares, tam uniformes? Non urgeo autem hæc pluribus.

Ab aliis disce, *Acidum* quodvis nequidem indurare posse *Cornu Cervinum*, sed emollire illud, & in mucilaginem redigere. *Acidum liquorem* à Saccharo, dum coquitur, coagulationem impedire. Quin Experimenta Nob. *Boyly* attende.

Ebullire finit Salem Tartari cum Sp. *acido*, tum exstillat insipidum liquorem, *acido* derelicto. residuo rursus *Acidum* affundit, & aquosum abstrahit. Sicque impraegnat sufficienti *acido* fixum *Alcali* tartareum, & nihilominus fluida manet mixtura, quin absque igne liquida.

Addo aliud: *Camphoram* infundit

Spiritui Vitriolico, ut transeat in rubescens, ac supernatans Oleum: post exagitatione confundit in liquorem ardentem uniformem. Quin à quadruplo aquæ limpidæ superaddito reddit corpus *Camphoræ* in liquoris superficie album. Quæ ergò *Camphora* à Spiritu Vitrioli fluida facta erat, ab aquâ rursus confirmatur.

His, aliisque docearis oportet stabilitatem à solo *Acido* non derivandam in subjectis quibuscumque. Officina ferraria suppeditat documentum sufficiens: Chalybem candefacit Faber, ut emollitum tractare possit: immergit rursus aquæ lympidæ, ut ille indurescat.

Quamobrem, ut subticeam ad cætera tua, frustrà urges ab *Acido* solo coagulationem, & indurationem in subjectis omnibus. Nullâ sequelæ necessitate subjungis exempla corporum ad duritiem, vel coagulum tendentium. Sat enim causarum aliis ex fontibus depromi possit, adeò ut has tuas sollicitare machinas non sit opus.

NEOCHM.

Vnicum coagulationis specifica specificum esse medium Acidum arguitur.

Quas machinas alias sollicitem, nisi quas Natura & Ars agnoscit? Coagulum omne ab *Acido* est, sed intrinsecum, sed rerum constitutivum: hoc formale congelativum in Salis centro residet. Ab hujus virtute omnis consistentia. intimus huic thronus est *alcali:* hoc figit, densat, format, animat. Sic condimentum naturæ, rerum basis, omnia involvens, & ab omnibus involutum audit.

Varii externi concretionum modi nihil ad hunc rhombum. Specifica autem diversitas in duritie, aut coalescendi modo à specificis provenit *Acidis.* hæc peculiariter constituta hanc vel illam diversitatem figuræ, & consistentiæ peculiarem procurant. Dum diversum *Acidum* diversimodè congreditur cum suo *Alcali;* diversitas naturæ & formæ resultat.

Emollitur *Cornu Cervinum* ab *Acido,*

cido, quia *alcali* ejus volatile fortius non ſuſtinet *Acidum*.

Neſcit coire *Saccharum* coctum, quod *Acidum* alienum interveniens improportionatum ſit.

Experimentorum Boylianorum quoque rationes in promptu ſunt. *Acidum* toties Sali Tartareo cohobatum tandem non invenit ſuum ſufficiens congener *Alcali*, quod amplius coagulet. Coagulans ſolum abſque coagulando quid effecerit.

Reſidet quoque *Alcali* volatile in *Camphorâ*, ſed propria pinguedine ſaturatum. Ludit quidem cum *Acido* fortiori formam Olei, ſed cum benigniori, ſuaviori, ut ſunt ſucci acidi vegetabiles, oleiformis non fit. Neſcit autem *Alcali* ſub tam forti *Acido* ſubſiſtere, ſed ſuccumbit prorſus. Redintegrat autem corpus ſuum *Camphora* ab injectâ aquâ, quod tum diſgregetur *acidum* vitriolicum, propriumque *alcali* camphoratum cum pinguedine rurſus invaleſcat.

Nihil ergò his effecerit experimentis *Boylius*. Multò minus, quod durities *Chalybis* candentis ex immerſione

mersione aquæ lympidæ recrescat, quicquam contra vim *Acidi* pollet. Vel superficiario rerum naturalium scrutatori causa hujus patescit. Utinam res quotidianæ ex Officinis Opificum protractæ te saltem commoverent, ut his mediantibus expugnaretur pertinacia tua. Certè præcipua harum momenta ab *Acido* & *Alcali* dependere serius indagator invenit. Sed descendere me ad eas vix siverit incredulitas tua.

Nequidem Fontium mirabilia, redivivæ Venarum Metallicarum exhaustarum fœcunditates, omnigenæ Terrarum excrescentiæ, Saxa nativis prodeuntia locis, demortua Mineralium capita resuscitata, & sexcenta hujusmodi multiplici spectaculo, variisque exemplis te moverent. Semper juxta peculiarem Mixtorum compagem coëuntes, colliquati coaliti, configurati *Pugiles*, sive occulti, sive obvii sensibus, tibi erunt suspecti. Novam enim non sustines lucem, nec producis oculorum projectum ultrà limen vetustatis.

PALÆPHAT.

Indignatur ampliori solutione prædicta, exigit Experimenta certa.

Quo producam oculorum obtutum? tua hæc talia sunt, quæ vel ipse saxeus *Morychus* contemnat. nimis inauspicatò cogis inservire Naturam tuis præsuppositis. tam lynceus es, ut per altissimas tenebras λεπτολεσχίαν deprehendas. Sed non tangere dignabor ultrà tuam anagyrin, nisi certioribus venias. Aut ergò sile, aut profer *Experimenta*, quibus tutius pedes tuos figas.

NEOCHM.

Experimentis duobus occultum alcali manifestum reddit; Mercurium ab eo præcipitari, & Sp. vitrioli absorberi docet.

Experimenta desumpta & mutuata à Boylæo sunt, de Coloribus.

Quis sileat, ubi non silet Inventorum veritas? Possum fallere nesciis procedere tibi in occursum: possum edocere modos ex dubiis indubia, ex occultis manifesta reddendi tam *Alcali*, quam *Acidum*: modos quidem obvios, ac cuique faciles; & quibus malo tuo nodo removendo bonus inest cuneus.

Mer-

Mercurius sublimatus quibus admixtis *Acidis* exsurgat, notissimum. illius particula limpidæ immersa aquæ, & insoluta eâ quantitate quidem, ut clara maneat solutio, vel filtrando clarescere possit, docet vim potissimam evanuisse *Acidi*, & per aquæ copiam prorsus dispersam. huic ergò solutioni instilletur guttatim, celerique lapsu *Alcali* Tartareum, sive liquor salis Tartari sponte solutis. Mox mirabilis turbatio claritudinis soborietur, & celerrima compositorum divisio ad oculum comparebit. *Alcali* enim Tartareum insorbet, & combibit *acidum* solutum, quod in *Mercurio sublimato* dominium exercuerat. Sin agites nonnihil vitrum, in quod commisisti liquores, obscurè rubeum, vel saturum Arantii advertes colorem. Alias eodem modo coloratus ad fundum abit *Mercurius* relictus. nihil hoc oculari spectaculo promptius.

Congrediuntur, sibi maritantur, copulantur sub diluente etiam aqua *Alcali*, & *Acidum*. particulæ *acidæ* cum mercurialibus fuerant sublimatæ:

limatæ: his quum *alcalicæ* copulam ſua præſcindunt præſentia, merculiales ſubſident, & derelinquuntur. novus congreſſus veterem disjungit copulam. Quis autem ſub tanta aquæ diluentis copia *Acidum* nihilominus ſuis conſtitiſſe viribus concepiſſet? quis *alcali* advenientis vires haud impares?

Rurſus verò argumento huic inſervit præcautio, & reſtitutio omnium ejuſdem experimenti. Nec turbabitur, aut colorabitur liquor prædictus, nec præcipitabitur *Mercurius*, ſin mox poſt inſtillationem liquoris Tartarei, *Spiritum* adjicias *Vitrioli.* hujus poſt celerem diffuſionem liquor rurſus adeſt limpidus, & excolor, nec ullus in fundum abit *Mercurius*: ſi quid verò ſubſederit, omni mox ſpoliatum colore viſendum. negligit *alcali* Tartareum in ſublimato *Acidum*, & Vitriolico congreditur. Quod coagulabile diſſipatur, & in minutias inviſibiles redit, dum ſurripitur.

Sic *alcali*, ſic *acido* affuſis liquor turbatur, & clarificatur, rubeo colore imbuitur, & exuitur,

ſedi-

sedimento donatur, & privatur. Semper actio prompta & parata utriusque *Pugilis*. nunquam tamen eâ sub mensurâ ingerendus alteruter, ut effervescant simul ambo. congressus ille nimis huic notitiæ excellens est: modicum sufficit dimensum. En *Experimentum* sat evidens. Audi nunc alterum.

Vitriolum Martis res est cognitissima: excellens in eo *Acidi* dominium. hujus particula limpidæ immersa aquæ non minus ac Sublimatus mercurius edocet quid valeant *Alcali*, & *Acidum*. Nimirum vel *alcali* Tartareum, vel alterius indolis guttatim huic quoque solutioni instilletur, non minor turba clari suborietur liquoris, vel ad claritudinem filtrati. *Acidi* hujus cum *alcali* adveniente manifestus est congressus manifesta copula. Vitriolum quod delituerat, Colchotar suum sub viride deponit. cadit Colchotar ab *acido* prius inglutitum. Quis autem sub vitriolo Colchotar concepisset *alcalicum?* nullæ tamen heîc præstigiæ, nulli fuci.

Id sanè *alcali* est, quod *acidum* *vitrioli*

vitrioli inforbet, ficut & id erat, quod Mercurium fublimatum præcipitat. nec aliud eft, quam *alcali*, quod ab utroque defidet. Sin *acidum* injeceris quodcumvis, vel fublimato vel vitriolo folutis, non movebuntur fuâ fede. Sin falfum, non quoque, licet turbatio aliqualis quandoque fubfequatur.

Quo *Sali*, ac *falfo* vicinius quid, eò minus huic aptum operi. fi quæ difcoloratio, aut turbatio adeft, ab *alcali* eft, paulò minus *acido* præoccupante. Alias in Salfis omnibus propriis adeò faturatum *alcali* ab *acido* eft, ut negligat alterius acceffum. hinc infufa ex diureticis, aliifve Salibus foluta manifeftam vix ullam commotionem inferunt: Quicquid enim Cinerum collectarum merum non reddit *alcali*, fed ab *acido* aliquatenus occupatum, illius lixivium, vel folutus è fale liquor reperitur inefficax. mutuare tamen efficaciam ab igne poteft, fin eo fundente extrahatur *acidum*, folumque maneat *alcali*.

Ineptus huic proritandæ commotioni etiam ipfe *Communis Sal* eft.

Ut

Ut enim ob digeſtam æqualitatem vix per ignem mutabilis, ſic & abſque igne *Acidum* ſuum communicare ſolet. Reſolutus aquâ ab inſtillato Tartari liquore, quatenus *Acidum* ejus ab *alcali Tartareo* ſegregatur, terreſtre Colchotar in fundum demittit. Quin concrematus, licet induerit igneam naturam, merum tamen neſcit reddere *alcali*.

Igitur in omnibus Salſis adeò præoccupatum eſt *alcali* ab *acido*, ut nec Mercurio præcipitando, nec Spiritui Vitriolico abſorbendo ſufficiat.

Lixiva tamen, quæ dicuntur *Salia*, ita plerumque *alcalizata* ſunt, ut utrique ſuffena ſint operi. quædam eorum ſolum derelicto *acido* adhuc prægnantia. Ut adeò generalis Lixivorum Salium cognominatio cum injuriâ *alcalibus* veris tribuatur. nec *alcalia* omnia lixiva ſunt; lixivis tamen omnibus, præſertim retorridis *alcali* inhabitat, & ſi quod *acidum* deprehenſibile, id ab omni imperio dejectum. Quinimò lixivio exprompta *alcalia*, ſin *acido* rurſus ſaturentur, *lixivia*-

lem

lem videntur deponere indolem.

Fortior ignis autem de ſtatione & cognatione deturbat omne *acidum*, & quandoque *alcali* in neutrum vertit. Per ignis torturam mox aufugit *Acidum*, & per magnam illius procellam etiam è fixo *alcali* aliquid ſimul abit. hinc Spiritus *Salſus* vel *acido-alcalicus* qui ineptus Mercuriali præcipitationi, & Vitriolicæ abſorptioni. Mitiori autem reſervandus examini Spiritus volatilis.

Sed nimium exſpatior. produxi in Sublimato *acidum*, aſcititium, in Vitriolo nativum: ut *alcali* omne fortiter cum eo rem ſuam agat, monſtravi. niſi inſtar talpæ cœcutire velis, aſſenſum non negabis.

PALÆPHAT.

Experimentis prædictis aliundè mutuatis non multum tribuit. diſcrimen inter muriatica & lixiva Salia abſque his cognitum ait.

Quibus me committis larvis, quem conſenſum exigis? proceſſerint *Experimenta* illa, quid ſingulare præter vulgares continent præcipitationes? Sint quæ *alcali*, ab *acido* diſcri-

discriminent. ames eadem citrà rivalem. Quid tum? adventitia & factitia erat in Mercurio Sublimato *aciditas*, è Sale, nitro, vitriolo, præfortibusque eorum Spiritibus exsurgens. Vitriolum recrementum est metallicum, salinamque, nullo negante, fatetur indolem. nondum autem monstratum aut edoctum in ejus Colchotare nativum & merum *alcali*.

Discrimen inter Salia Lixiva, & Muriatica quod adjicis, etiam absque his experimentis satis patescit. An ignoras plures semitas nos ducere Thebas? Quid autem est, quo tanquam secundo flumine rapi debeam in consensum? Nihil sanè novis per ignem creaturis evinces. Eia age ergò, *Experimenta* illa à *Boylio* mutuata frustrà tui juris fieri vis. Non laxo hinc frænum tibi, licet ob feroces annos hinnias, & calcitres.

NEOCHM.

Transit ad Circulum Vegetabilium, & in eo primas obtinere Alcali, & Acidum confirmat.

Non videris mihi iisdem cum verita-

veritate syderibus conceptus, adeò in eam tumultuaris. Scias autem me ad hanc ætatem sine præconcepto falsi vixisse. Seris nimium criminibus pervertis innocentes meos in rerum novitatem prospectus. Sed exeamus circulum Mineralium, & ad eum, qui de Vegetabilibus, pergamus. Forsan hæc tibi Subterraneorum tenebras fastidienti erunt acceptiora. Oportet enim sermones nostros abhinc celeriter ad circum Animalem devolvamus. Omnium quidem eadem obtinet sors.

Vegetabilium præcipua, ac principalia instrumenta sunt *Alcali*, & *Acidum*, hinc illis exortus, hunc incrementa, & propagines in his *Apollo* superat *Pythonem*, *Hercules Hydram*, inque vinculis detinetur *Protheus*: *Quum sit Ignis Aquæ pugnax vapor humidus omnes Res creat, & discors concordia fœtibus apta est.*

Quanta horum potestas in ventre Terræ, tanta rerum varietas exsurgit inde super terram. Nisi *Diana* suum hunc nanciscatur *Apollinem*, nil fit, nil crescit.

In singulis variæ horum habitudines,

dines, attemperationes, prædominia, motus, mutationesque sunt. Explicare omnia infiniti foret operis. Dormiunt in Semine quovis, velut in ovo. Ab humido soluta, à calore solari vel alio excitata actuantur, & in choream commotionis abducuntur. his in motum vindicatis turgescunt & propullulant *Semina*. his *Pugilibus* inspirata vividè totius moles vix virium suarum continens est. horum appetitu, copulâ, connubio, mutuo subsultu, & congressu vegeta quævis prodit soboles.

Quicquid rude, & indigestum est, suam ab his acquirit elegantiam, formam, & figuram. juxtà prædominium cujusque exsurgit vegetabilis efficacia: juxta definitam proportionem mistum constat. Ubi utriusque clades viriumque casus, ubi mutuo defatiscunt amplexu, neutrum suboritur. Vix verò clades ea subsistit, quin sua facilè rursus nanciscantur suscitabula. Occultum enim in relapsum prona sunt, ac quovis molimine suam redeunt in palæstram.

Docu-

Documento vel Cinis herbarum exuſtarum eſt terræ denuò commiſſus. inde enim herbæ ejuſdem propullulant ſpeciei, inde recreſcunt, quæ perierant, teſte *Kirchero, Schotto*, aliiſque. *Sonchus*, quæ in alimentum ceſſerat Suibus, ab eorum reſurgit ſtercore. Ex *Urticâ* lixivium in glacie ſub ſpecie umbratili figuram affectat *Urticæ* redivivam.

Et quid incredulo tibi ἀνάστασιν, aut παλιγγενεσίαν producerem *Plantarum?* quaſi pictor ſim, aut Poëtæ nomen exambiam, & quodlibet credendi æquam tibi facerem poteſtatem: plenâ velificatione eouſque ut provehar, non neceſſum eſt. Quanquam nec fieret injuria argumento inter ſe ac me controverſo, ſin Sapientiſſimum *Salomonem* inquiſiviſſe in herbis noſtros *Pugiles* dicerem, quum abſconſas Radicum virtutes, & virgultarum differentias proderet, diſputans de *Hyſſopo* ad *Cedrum Libani.*

Verum ſunt ſatis obvia, ſunt omni exceptione majora, quibus *Alcali* & *Acidi* præſentia evinci poteſt. Diſci ab Experimentis è familiâ Vegeta-

bili

bili hauſtis debet, quomodo naturæ regimini ſubjaceant. *Reſolutiones*, *Coagulationes*, *Præcipitationes*, *Efferveſcentiæ*, vel quæ his ſubſidiariæ, *Lacteſcentiæ* produci non minus in hâc, quam in familiâ Mineralium poſſunt.

PALÆPHAT.

Circulo Vegetabilium attribui Alcali, & Acidum in univerſum perperam, ſuſtinet.

Euge nunc ergò tibi conſtabis venâ tuâ! Circulus Vegetabilis ampliſſimus erit campus *Pugilibus* tuis demonſtrandis. Nihil præter hos ſemina vivificat. Non indigent ſcilicet corpora vel formanda, vel formata determinante, vel dirigente *Archeo*. hujus haud improſperè oblitus es. non ordinem in contextu ſingularium ſingulari, non juſtam cujuſque fabricam perpendis. in omnium diverſitate vix comprehenſibili *Pugiles* tui in motum & copulam nudè aguntur, ſibi ſolis permiſſi.

Illa ergò vexilla erexiſti Veritati, ſub quibus militat univerſum. nec ſapit hoc tuum philoſophæma otioſi

otiosi cerebri figmentum; quoniam *Experimentis* nititur. Credant alii, quod somniant; credant, quod fertilitate ingenii excogitant, tuum tibi sufficit *Alcali*, tuum *Acidum*. Fruamur ergò ulterius insaniâ tuâ, & audiamus Experimenta, quibus niteris.

NEOCHM.

Salia Vegetabilibus elicita novos esse fetus; ex combinatione, vel separatione alieni ab Alcali & Acido per ignem resultantes asserit, hincque præsentiam Pugilum statuminat.

Credidit hactenus totus Chymicorum Chorus in Vegetabilibus quibuscumque latitare *Salem*, aut fixum, aut volatilem. Credidit, quod *Salem* omnibus elici compererat. Id ergò suæ Artis esse putavit, hunc cum *Mercurio*, aut *Sulphure* loqui; hunc consulere, & solvendis Affectuum phænomenis præstituere. Non aliis fermè solertiam suam occupari sivit.

Nunc verò melioribus geniis & *Chymia* præstantiam suam, & *Medicina* salutem debet. Postquam scili-

scilicet *Alcali*, & *Acidum* debita sibi loca in omni rerum naturalium regno occupârunt. His enim solis si quæ *Salia* vel prodeant è Succis Vegetabilium, vel ex eorum Cinere elixivientur, exortum debent. His exterminatis nusquam *Sal* prodire potest. horum unionem saltem Ars procurat, dum *Salia* conficit. Nisi *alcali* cum *acido* immediatè conjungatur, & intermedia misti vegetabilis auferantur per ignem, aut segregentur, certè *Salis* nomen nil quicquam meretur.

Fixum reverâ in nullo Vegetabili *Sal* est, ni actuali ignis combustione illi innascatur. Volatile quodcumque adest, ex utriusque *Pugilis* concursu & exaltatione debitâ proficiscitur.

Quidnam agat *Ignis*, & quomodo *Sal* in genere accipiendus, jam supra vidimus. Genesis scilicet pleraque *Salium* artificialis est. Sin in quoquam Vegetabilium *Salsedo* comparet, illa vix aliter genuina, quam ad Artis normam; cujus ergò exemplum sufficit.

Dum Vegetabile ustulatur, unio-

nis vinculum ſolvitur, & abſumuntur compedes, quibus à congreſſu detinebantur *Pugiles*. Tum demum his ſubnaſcitur in ſe invicem agendi libertas, quatenus exſoluti vinculis arctiori copulâ, & promptiori mutuâ actione jungi poſſunt. Exurente igne ambo fixantur in Cinere, & ſub eo in *Salem* fixum tranſmutantur, qui Cineri poſtmodum elixiviandus.

Sin ignis nimium urſerit, prout in hoc vel illo Vegetabili latet magis vel minus, pro eo fugit *Acidum*, & *alcali* meracius exſurgit. *Alcali* enim quodvis infixationem pronius. *Acidum* ad fugam ſemper tendit, niſi violenter detineatur. Regimine ignis ergò è quovis Vegetabili exſuſcitatur progenies ejuſmodi Salſa: diverſæ tamen indolis, pro diverſitate ſubjecti.

Prout enim genuinum tam *Alcali*, quam *Acidum* plus minusve adeſt, mitius, fortiusve, occultius, manifeſtiuſve, activius, torpidiusve, pro eo naturatur exoriens *Salſedo*. ignis interveniens quoque ut figere, ſic etiam efficaciam imminuere, vel adau-

adaugere solet. Quin fixa volatilizat, & suo augmento vel moderamine volatilia fixat.

Generat certè *Salia* Vegetabilium, non invenit fixa: promit eadem, non exprimit. Arefactum in aëre Vegetabile, inque cineres redactum, uberem non reddit proventum *Salis*, quod ignis non invenerit *Pugiles*, & tam volatici ac fugitivi fuerint, ut solâ exsiccatione penitus exspirârint, aut maximâ sui parte sub aridurâ aufugerint. Sin recens exusseris, plus *Salis* provenit, superstitibus *pugilibus*. Sin autem liquefactivum urgeas ignem, merum exuberat *alcali*, *acido* abacto.

Lignum tam putre, quam imputre habeas. nullus è quovis ligno putrido, licet cinefacto *Sal* eliciendus. avolavit enim ex eo *acidum*, disperiit omne *alcali*, cadavere solo relicto. Ante putredinem combustum idem Lignum plurimum dedisset *Salis*, sicut imputre & integrum dat. Quid evidentius, quam volatile utrumque tam *alcali*, quam *acidum* in vivo ligno quod exstent, & per ignem in *salem fixum* com-

binentur? Nihil enim *fixi Salis* præfuiſſe in ligno, priuſquam computruerat, inde evincitur, quod alias remanſiſſet. Quod per putredinem evolat, *alcali* & *acidum* ſolummodo eſt.

Sic ſanè in quibuſdam Vegetabilibus tam volatica ſunt, ut vix fixationem ullam tolerent. hinc exſolvuntur his citius per ebullitionem & concoctionem, quam per concremationem. Igitur ingenioſâ ſaltem arte ad conſtantiam perducuntur tam per naturæ regimen diffluxilia. Sicut per eandem ipſamet jam concreta *Salia* ita alcalizari ſolent, ut ab acceſſu aëris diffluant, diſſolvanturque; & affuſo rurſus *acido* ita his eximi fluendi facilitas, ut indureſcant, & pluſculum coagulentur. Novit Ars è Ligno Buxi, aliiſque Spiritum elicere duplicem *Alcalicum*, & *Acidum.* hic ſali lixivo ſuperfuſus cum ſibilo ebullit, ille ſtat immotus. Temperant ſe invicem combinati: at ſejuncti ſingulares promunt effectus.

Taceo quod Ars ad naturæ imitamen ſæpius aſſurgat, & varias mi-

xtorum

xtorum ſpecies exſuſcitet. Sin fixum cum fixo ſaturat, illud petreſcit, aut calceſcit. Sin fixum *alcali* cum volatili *acido*, illud ſalſeſcit.

Sic componit cum *Sale cyrenaico* ipſummet *Urinæ alcali*, ut combibat illius *acidum*, ad ſaturitatem ſibi congruam. Coagulata ex his placenta *Salis armoniaci* nomine venit. in hoc ſtrictus utriuſque *Pugilis* amplexus, ut vix divortium toleret. ambo enim per ignem æquè citò avolare tentant. *Alcali* urinoſum, dum in fugam cogitur, rapit quoque ſecum *Acidum* in ſublime, quod ſorpſerat. hinc ſanè, quò *Spiritus Salis armoniaci* purior, & efficacior, volatiliorque aſcendat, *Sale Tartari fixo* ſuperaddito detinetur *Acidum*, quod alias ſimul avolaret. abſque hujus, vel conſimilis additamento ſyncerum nullum *alcali* evaporat. Sin Farina commiſceatur *armoniaco ſali*, retorta nonniſi *acidum* reddit Spiritum, quod volatilitatis urinoſæ vix quicquam trahat. Vero tamen in *Spiritu Sal. armoniaci* merum dominatur *alcali*, cujus, ut ſupra propoſitum, ad

Mercurii præcipitationem, & Sp. vitrioli inſorptionem efficacia expromptiſſima.

Sed quur hæc in *Sale Armoniaco* commonſtro, quum in aliis Vegetabilium claſſem non excedentibus etiam pateſcant? *Alcali* & *Acidum* tam in nonnullis occulta, & ſub aquoſitate exundanti latitantia, ut omnem ignis & Artificii normam detrectent. Sic quæ Refrigerium conferre hactenus credita, extremâ *Pugilum* debilitate laborant; hujuſmodi *Endivia*, *Portulaca*, *lactuca*, & ſimilia ſunt. Vix hæc in *Salem* bonum & efficacem fixabilia. in exſtillatis eorum Aquis modicè quandoque comparent *Pugiles*, quod ſub iis avolarint. Alias nuſquam ſunt.

Herbæ autem oleoſæ & calidæ tantum poſſident *Alcali*, ut *acidum* penitus ſubjugatum in iis adſit, *ſalemque alcalicum* reddant copiâ, & efficaciâ inſigni. Tanti ſæpè valoris illud, ut ſufficienter & Mercurium ſublimatum præcipitare, & Spiritum inſorbere Vitrioli poſſit.

Et quid juverit ſpecialius his inhærere? Suffecerint prædicta, ut evin-

evincant, *Salia* & fixa, & volatilia Vegetabilibus elicienda *Pugilum* præſentiam, & præexiſtentiam in illis ſtatuminare. Suffecerint indagini, nihil *Salium fixorum*, niſi in potentiâ horum, illis ineſſe.

PALÆPHAT.

Declinat conflictum de Salium *præſentiâ jam antè habitum, urget ſufficentiores probas.*

Quid ſuffecerint? inemendabilem perſpicio mentis tuæ imbecillitatem, ni recoxerit eam *Prometheus* aliquis. denuò ad *Salia* Vegetabilibus extracta revolveris, quaſi *Salium* geneſin non ſatis ante ventilaverimus. Quod in omni circulo eluet, etiam Vegetabili conſonum. Nova progenies *Sal* quicumvis, ſed ex proſapiâ aliâ oriunda eſt. Si quid *alcali*, ſi quid *acidum* è Salibus, illud ſimultaneum ignis opus.

Sed non repono tuis plura, quia crambem biſcoctam nolo. poſſem aliàs veriores cauſas, quarè Herbæ exſiccatæ parum, putridaque ligna nil *Salis* reddant. Poſſem, prout in aquoſis, & refrigerantibus concedis inconſtantiam, ſic & in reliquis

 omni-

omnibus nullitatem *Pugilum* evincere. Possem *Arti* suos ponere modos, cujus salificandi facultatem nimium extendis.

Tantum enim tribuis Amasiis tuis, ut nihil non in eorum patrocinium susque deque torqueas. Tantum interim abes à triumpho, quantum *Alexandri* ara ab *Herculis* columnis. Imitari vidêris mihi velle illos, qui de Occultis Qualitatibus integra dedêre volumina. Jam fixum, jam volatile tuæ aptum scenæ reddis: & quod modò aptum, modò ineptum conficis. *Alcali* tuum nunc vacuas, nunc comples *acido*; utrumque jam inter volatilia, jam inter fixa lynceis tuis conspicaris oculis. Quis autem omnia hæc ex solido *Taciti* fundamento producta, & indigna refutatione non judicet?

NEOCHM.

Alcali & Acidum tam volatile, quam fixum asserit. in Succis Vegetabilium exstare probat expresso Vvarum Succo, ab eoque resultantibus.

Quicquid ogganis, *Salium* genesis evidenter monstrat *Pugilum* præexistentiam. Tam fixus, quam vola-

volatilis eſt, aut reddi poteſt uterque *Pugil.* Fixum quidem, aut lixivium *alcali* κατ' ἐξοχὴν tale eſt. gradualis tamen differentia, quæ fixum illud à volatili diſtinguit, nulla eſſentialis eſt: & nomen idem ad utrumque gradum extenſibile. Tribum *Alcalium* non diſgregat ejuſmodi diſtinctio. etiam fixum ſpirituaſcere poteſt ſicut & ſpirituoſum fixari. *Acidum* item, licet ad avolandum pronius, fixationem tamen cum ſuo *alcali* non reſpuit. Utrumque ergò tam fixum, quam volatile *Alcali* & *Acidum* eoſdem depromunt effectus, ſed majores vel minores pro ratione ſuæ conſtitutionis.

Comprobant id quidem *Salia* Vegetabilibus elicita, verum has rejicis probas: *Ignem* nimium ſuſpicis. Quin ergò ad effectus abſque ignê propalantes deſcendam opus eſt.

Succos Vegetabilibus extractos, vel expreſſos, prout eſſentiales eorum partes, ſin deligam, & ad utrumque determinem *Pugilem*, ſanè neutiquam deſugere ſequelam poſſis. Nulla in hos ignis efficacia.

Sin demonſtrârim in his *Alcali* & *Acidum*, ſanè ſuffecerit.

Prodeat ergò primùm in exemplum *expreſſus Uvarum Succus*, utpotè omnibus notiſſimus. Hic *alcali* & *acidum* per varios caſus, per metamorphôſes multas, & per ultima ſervat diſcrimina. Cubant enim in illius gremio latenter, & mox evidenter emergunt, ut expoſitione hujus, Omnium Vegetabilium *Succus* declarari queat. Quum in fermentum progreditur dulcis ille expreſſus, tum incipit actus *Pugilum*. rumpentium bullarum ſtrepitus, & emorientium ſuſurrus detegit eos ſufficienter, dum indeſinenter ſpirituaſcunt, & fæculenta ipſa incorporant.

Spirituum autem utriuſque inſtinctu vigentium pars melior prælium ſortitur vigoroſum: qui *alcalicus* potiſſimam in centri partem convolat fugitivus: *acidus* ſupereminens, ut præliator ovans, circumferentiam & ambitum liquoris obit. Fæx autem turbido innatans Vino, coagulatur paulatim, & ob inquietudinem commotionis ſtare neſcia la-

teri-

teribus tandem adhærescit Vasis, fitque *Tartarus*.

Remanet in hoc *alcali*, sub dominio tamen *Acidi*: remanent ambo in liquore etiam reliquo. in Tartaro *acidum* nulli non obvium. Spiritus illi exstillatus non merus quidem *alcalicus*, attamen *alcali* volatili ita saturatus, ut affusus Spiritus vitrioli eum patefaciat. ruunt sanè mox in mutuum amplexum, indeque cladem virium suarum patiuntur. Tartarus in Salem exustus omne exuit tandem *acidum*, & *alcali* merum est. nec enim violento in igne constat *acidum*; *alcali* autem per ignem penitus fixatur.

Sal ille *Tartari* medium vivificativum est, ut ante dictum, quatenus multiplices subit formas ab *acido* superveniente. Quin combibens Acetum vini in *Tartarum* transponi rursus potest. Ex illo eodem Spiritus prolectus olei formis vix alius, quam qui ex *Tartaro* crudo, nisi quod aceti bonitatem consequus. aliundè autem suam causam habet, quod facilius liquescat *Regeneratus Tartarus*.

Sed *Acetum* & *Vinum* ipſum reaſſumamus. Liquor vinoſus fæcum ejectione clarus retinet noſtros *Pugiles*, licet jam quietem nactus. *Acidum* in eo primitus dominatur, quia in fervore ac commotione imperium ſuper *alcali* nactum fuerat. Spiritibus ſic acidis totus impraegnatur liquor. his tamen paulatim ſupereminere inceptant *alcalici* volatiles, dum ſui tandem juris fiunt, & exaltati imperium *acidis* exuunt. ita nobilis ille liquor Vini temperamen ex utriuſque caſu ſortitur.

Vinum enim pugilicè vinoſum fit, dum æquabili in motu perſtat *alcali*. *Acidum* vigorosè tranſportatum gratiam & Symbolum confert. attamen libertatis & dominii amans ſtare neſcit, ſed intercapedine ſpatioſâ recolligit vires. ſpirat nempè ulteriora, dejicit amicabile jugum, recuſat temperiem, furit inſolentius, & in ſuum gyrum cogit liquorem omnem. Sic alius re ac nomine illius ſtatus: *Acidi*

Redeunt ſaturnia regna.

Quoniam ea illi indoles, hæc inquies, & propagandi promptitudo, ut

ut nesciat modum, nesciat gradus, ubi sumpsit vires. alcalicam spirituositatem ac volatilitatem partim fugat, partim deprimit, castigat, subjugat.

Hinc etiamnum in *Aceto* aliquale *alcali*, evincunt id documenta varia. *Saccharum Saturni* spiritum vinosum & ardentem dilargitur; nec soboles illa plumbi, sed *aceti* est. quin separato per alembicum *acido* fundus *aceti* per ignem crematus reddit *alcali*. in tanto ergò *acido* aderat latitans *alcali*, ut & antea sub tanto Vini alcalico dominio latituerat *acidum*. *Acetum* autem *Spiritu acido* exutum vappa est. *Vinum* quoque *pugili* uno post alterum exturbato vappescit.

Quanto id omne exemplo est, quod vario in statu *Pugiles* consistere queant? Quanto *Succus uvis expressus* omni Vegetabili? Nunc autem pari scrutinio non ingrediar reliquum tam spatiosum Esculentorum ac Potulentorum campum: nec singulas Medicamentorum familias excutiam. Reverà omnibus *alcali* & *acidum*, prædominans, aut succumbens,

bens, manifestum, aut occultum possem simili modo demonstrare.

Ipsæ Plantæ, licet gustum præbeant acidulum, *alcali* tamen suum occultum ut manifestent, cogi possunt. Quin quibus *alcali* prædominans, illæ destillatæ stagma fundere solent *acidum*.

Nec *Sacchero*, nec *Melli*, evanescente dulcedine, Vulcano exprimente, & docente, *Acidum* deest.

Quid *fructus*? in liquidum redactis omnibus, vel eorum succulentiis tam Spiritus ardens, quam Acetum expromi potest. Jam adde, quicquid Vegetabilium uspiam est universim, aut particulatim: mihi nunc suffecerit

digito tetigisse cacumina rerum.

PALÆPHAT.

Succum Vvarum expressum, & quæ ex eo sunt, non adeò firmiter statuminare Pugiles, *ut abhinc argumentum valeat ad omnia Vegetabilia.*

Nimios, fateor, insumis labores in architectandis *Pugilibus*. Necdum tamen perspexi, cui bono, aut quibus certis *Experimentis*. Non ausim ergò Sylvam tam tenebricosam & hor-

horridam ulterius ingredi. Certè fixis & volatilibus præludiis, & pugilicis consequiis totus intricatus vix trientem debitæ sapientiæ amplius possides.

Succum Uvarum in exemplum subdis omnibus Vegetabilibus, quod ab hoc carcere in suam metam decurrant evidentissimè *Pugiles*. Fermentum & orgasmum in Vino hinc in processu determinas, quasi partium aliarum dissimilium nulla foret in liquore congeries.

Sunt præterea Spirituosa, sunt fæculenta, quæ sibi commissa in motum concitantur. ipsemet antea in mixtis quibuslibet septenarium allegasti numerum, cur nunc secludis reliquas? Mustum in Vinum maturatur per accidentalem mutationem.

In *Tartaro*, fateor, *acidum* est. ex eo emergit *alcali*, quum in Salem est exustum. Superstes in defæcato liquore *alcali* nullum, quod istud nominis sustinere queat. Spiritui volatili proventus aliundè colligendus.

Ex alcalicâ quod supereminentiâ *Vinum*,

Vinum, & ſubjugatione quod *Acetum* producis, cum larvis luctaris. Quam intolerabilis illa nominum, rerumque confuſio, &. pluſquam Chryſippææ ſubtilitati innixa? Vinoſi Spiritus volatiles num fixi, ac proindè *alcalici?*

Ex Salſo *Tartari* periſtromate omnis emergit invicem turba. *Acidum* hujus ſoboles eſt: hinc redeuntes vini paroxyſmi, & animâ tandem omni exſpirante *Acetum*. nullus abhinc tum reditus ad naturam Vini. Sed ſufficienter hæc aliis excuſſa noſtro non indigent commento.

Quo autem in Parnaſſo ſucceſſivas *Pugilum* ſubjugationes, alternantia prædominia, & quicquid horum ſomniaris, non facilè hariolor. ænygmata hæc talia lucem fugiunt. Simili quod ergò faſce colligas reliqua Vegetabilia, fruſtrà laboras.

Accidit *Plantis*, non naturale eſt, quum earum Succi digeſtione exaltantur. Tartarus illis extrahitur fermè lutoſus, & argilloſus. aſt Sp. ardens, illis extractus artificium & ignem ſapit: nullos certè naturæ modos admittit.

NEO-

NEOCHM.

Succos Plantarum examini subjicit, quo Pugilis unius præ altero dominium discernatur. Lactescentiam prodere minus fortes, volatilesque contestatur.

Quomodo non saperet inexistentiam naturalem, quod artificio quovis Vegetabilibus elicitur? Meri sunt manifestandi modi, quibus species latentes producuntur. quod occultum erat, manifestum fit & sensibile. Quin infallibilibus examinibus *Herbarum Succi* queunt subjici, quibus occulti manifestentur *Pugiles*, absque artificio singulari.

Distinctione tamen opus in gradibus fixorum, aut volatilium. Fixum vegetabile *alcali* etiam *acido* vitriolico in congressu par est. quo fixo vicinius, eo apertius examen subit. Astrictoria, Gallicæ nuces, Granatorum cortices, aliaque hanc produnt efficaciam. norunt hæc *Mercurium* in supradicto examine præcipitare. Mitia aliorum *alcalia*, & delicatiora, examen exigunt mitius.

Acetum destillatum, quod è fami-

liâ

liâ vegetabili eſt, huic proindè aptius. ejus artificiali congreſſu *Saccharum Saturni* conficitur, quod Aquæ deſtillatæ juſtâ quâpiam quantitate ſolvendum. Solutioni, fæcibus depoſitis, pellucidæ & claræ *Succus Herbæ* cujuſpiam, puta *Betonicæ*, vel ſimilis indolis inſtilletur. Liquor inde mox *lacteſcet*, agente *alcali*, quod in Succo, in abſconſum aquâ *acidum*, & cadente prædereli-cto plumbo.

Hæc *Lacteſcentia* ab herbaceis Succis ſuum cujuſque prodit *alcali*. eo illa major, vel minor, quo virtuoſa magis vel minus herba, aut activum ineſt *alcali*. *Præcipitatio* activitatem majorem ſubſequitur.

Efferveſcentia à principiis activioribus adhuc ſuboriunda, quandoquidem gradus agnoſcit ſublimiores, de quibus ante.

Ubi in quopiam vegetabili nec *acidum*, nec *alcali* ſufficienti adeſt dominio, ibi nequidem viſenda *Lacteſcentia*. illa autem quacumque in miſcellâ comparet, ibi actiones, & congreſſus *Pugilum* concipere licet; velut

velut excellentiorum, ubi *Efferve-scentia*.

Qua evidentiori inductione uterer, qua quælibet *Herba* præsentiam loquitur *Pugilum*? Sin volatici & fugitivi adeò insint Succis, ut examen detrectent, à simili deducendum argumentum. Satis sic manifesta volatilitas alcalica in *Cochlearia*, *Becabungâ*, aliisque.

Quidni autem te commoveret *Lactescentia*, quæ ab exstillatis harum quandoque aquis; licet in exsiccatis neutiquam immoretur *alcali*, sed exspiret? Ubi Aquas quoque deseruerit, nequidem Argenteæ in aqua forti solutioni instillatæ *Lactescentiam* excitare queunt. Quæcumque aliàs *Aqua alcalica*, operi huic non est impar.

Sic quæ *acida* haurit etiam è cupreis vasis atomos, servatque sibi invisibiliter. Cui si *alcalica* rursus confundatur; abigitur in fundum viriditas, quæ liquata cum Borace rursus coit in cuprum: nec enim retinet *acidum* ab alieno *alcali* distractum prius assumptam. En operationes *Pugilum* sibi semper congruas!

PA-

Lactescentiam non æstimat: Colorum variationes è variantibus corporum texturis deducit.

Nimirum jam occultos *Pugiles* herbaceos *Lactescendo* vis fieri manifestos: differenti equidem examine, & mitiori per Saccharum Saturni solutum uteris, ut eo Succos probes. & hoc tibi infallibile Signum, quando lactescit liquor. Quid sin autem ego nullam eam esse probam, evincere possim?

Salsum quodvis etiam ab *Acido* partem trahere, tua fert hypothesis: verum hoc sin infuderis Solutioni plumbeæ, eos reperies effectus, quos ex *alcalicâ* solutione, vel infusione.

Quin nec omnis Herbarum Succus *Lactescentiam* procurat, licet *alcali* non absit. Et quarè absque solutione plumbeâ, commisto saltem aquæ *acido*, Succus *alcalicus* lacteum non excitat candorem? Quid ergò *Lactescentiam*, velut probatæ notæ rem adducis?

Coloris in album variatio diversitatem naturæ nullam exhibet. Sunt acti-

activæ minutiæ complures: variè figurata corpuscula texturam totius alterant, lucemque modificant. Sequitur ordinem particularum unitarum, moxquè disjunctarum novus status.

Respice evanidum Bullarum colorem, dum aqua spumescit. respice variam superficierum posituram, radiorum reflexum commoderantem. in spirituosiori autem liquore hujus major varietas. Hinc transparentia cum albedine haud dubiè tam facilè commutabilis est. Exemplo sit Vitrum pellucidum comminutione sui in candorem versum. Sed Colorum è variatis corporum texturis genesin ac destructionem tradant alii.

Lactescentia certè tua in circulo vegetabilium nullo firmo argumento est. Respice Resinas plerasque, & Gummata. Vini Spiritu soluta per affusam solam aquam limpidam *lactescunt*. Ruberrima *Benzoës* Tinctura Sp. item vini extracta, & commixta clarissimæ aquæ *lactescit*. Ubi autem ibi *acidum?* Ubi *pugilis* efficacia? nescit equidem Vini Spiritus dilu-

dilutus aquâ, & enervatus resinosam sustinere substantiam, unde ea fundum sponte petit.

Quid quod infusionem Gallarum claram solutio Vitrioli fortiter facta reddat nigram? tua tamen ex hypothesi in Gallis latitabat sufficiens *alcali?* hujus ergò cum *acido* vitriolico congressus nigredinem cur promit, non *lactescentiam* in fulcimentum tui statuti?

Verum indignor hæc pluribus. Nominum hactenus distinctorum confusione, Colorum, & Tincturarum singularibus apparentiis, inani *Lactescentiâ*, quis commoveretur?

NEOCHM.

Refutat, quæ contra Lactescentiam pugnant. Syrupum Violarum in exemplum superaddit.

Ne hilum hisce tuis projectis commoveor. Quod Salso quopiam infuso excitetur *Lactescentia*, nihil obstat prædictis.

Merum è Succis *alcali* casum efficit pultis plumbeæ: à Salso plumbum pulveris formâ cadit; & solutio clara in acetum versa manet: ab *alcalico Succo* solutio remanet insipida,

pida, quatenus omne *acidum* absorbet. Salsum proprio saturatum *acido*, negligit ex parte adventitium. Reliquos quoque oppositos à te levis armaturæ milites facile est disjicere.

Ubicumque derelictum aliquale *acidum*, & cum *alcali* dominante immediatius permiscetur, ibi Sal promptus nil memorabile valet. Verum tam fixum quam volatile *alcali* mira potest in *acidum*.

Syrupum violarum præ oculis habeto, quia suspectam habes solutionem plumbeam per acetum in Saccharum redactam. Syrupus ille ab *acido* quovis rufescit, ab *alcali* virescit. hinc inservit aptissimæ dignotioni utriusque Quodvis *Acidum* eum sistit rubrum, sicut quodvis *alcali* viridem. fixa & volatilia uniusmodi sunt: Spiritus Sal armoniaci, fuliginis, Cornucervini, aliique volatiles: liquor Sal. tartari, liquor cinerum clavellatorum, & cætera. Fixa hæc ut detegit solutio sublimati sufficienter, sic volatica non item. Clara & pellucida à lixivis & fixis redduntur lactea; non redduntur à

vola-

volaticis ita evidenter. at *Syrupus violarum* deprehendendis his aptior est.

Cæruleas tincturas destruunt *acida*, restituunt *alcalica*. Sicubi colorum difformitas, ea è particularibus dependet texturis, quatenus *Pugiles* majori vel minori momento inhabitant. his enim variantibus, varii exsurgunt Colores. *Lactescentia* è congressu validiori vel debiliori adest. Hinc decoctum Rosarum rubrarum ex *acido* rufescit, ex *alcali* nigrescit.

Quin vini Spiritus, Olea stillatitia pleraque nec rubrum, nec viridem in *Syrupo violarum* suscitant colorem. Tam enim exaltatæ in his *alcalicæ* particulæ, tam implexæ, concatenatæ, obvolutæ oleosis, & aromaticis, ut huic operi inefficaces. Volatilitas in Oleositatem distracta, subtiliataque sibi impar est.

Commodior Aqua simplex est, modò gaudeat occultis atomis *Pugilicis*. Ut adeoque frustrà Resinarum aut Gummatum in Vini Spiritu solutiones ex affusâ solâ aquâ *Lactescentes* produxeris in contrarium. *Acidum* aquâ dilutum facilius se recolligit

colligit ad expromendum congressum cum *alcali*. hinc nec omnis Aqua conveniens æquè.

Sanè lactëus candor mixturam consequus inditium certum est *Pugilum*: minus tamen potentium, aut activorum, quam ubi *Effervescentia* visenda. hanc fixa & lixiva *alcalia* præpotentibus *acidis* copulata protinus suscitant. Scenam verò huic proximam ludunt *lactescendo* volatilia, & spirituosiora, inter quæ & ratione potentiæ difformitas est. Ab his interim notis ut Classem Vegetabilium disterminem, & ad singula eorum deflectam, haud opus erit.

PALÆPHAT.

Nullius fructus omnia hæc censet, & proindè despectui habet.

Nihil sanè prorsus conducet. picta ludibria attulisti quis nisi otiosæ mentis, & odiosæ arrogantiæ, inhæreat? Araneæ instar in alto pendere ab inanibus à te contextis filis cui lubeat? desine exhaurire viscera tua iis, quæ nec scienti prosunt, nec ignoranti obsunt. Quid sedulus bombyx hactenus degeneras in inertem papilionem, & pictus volitas?

litas? Nisi in Animalium classe meliora, deseram te.

N e o c h m.

In circulo animali quoque Resolutiones Partium quarumcumque reddere tam alcali; quam acidum monstrat.

Animalis circulus etiam *Alcali*, & *Acido* primas per omnia tribuit. Per incursum horum, quoniam verum eruitur, & falsum convincitur, spissis qui hactenus sub tenebris degêre *Medici*, sub dio vivere quasi possint.

Actus ipse primus Animalitatis à Punctulo effervescente Seminali dependet; & dum præsidet in Semine vis architectonica, congressu *Pugilum* admirandum opus confit. Vesicula pulsans hinc vitæ, vegetationis, & motus exordium capit. Nec aliundè sortitur Sanguis suam commotionem in centro: quin sine horum participio nil Viscerum constat. & Solida, & liquida quavis dominium alterutrius subeunt, agnoscuntque.

Quicquid Carnium, Ossium, Humorum, & Partium quarumcumque

que uſpiam in corpore animato, ab his derivat ſuum genium. Speciatim hoc indagare nolo, ne te obtundam. Omnibus tamen per ignem *alcali* & *acidum* extorqueri poſſe certò certius eſt. Prodeunt *Pugiles* debitâ adminiſtratione, evolant cuique Partium, ni alteruter detineatur. Hinc proventus *Salis volatilis* in Republicâ animali.

Tranſeunt enim in Salem hunc, ad fugam & avolatum dum æqualiter coguntur. *Acidum* autem per interveniens *alcali* fixum detineri poteſt, ut ſic merum volatile *alcali* prodeat: è contrà hôc per *acidum* fixum detento provocatur *Acidum* volatile.

Sanguis alcali volatile merum reddit, quum *acidum* illius alieno fixo *alcali* addito detinetur. Sin fixi aut lixivi nihil imbiberit *acidum*, *Sal volatile* elicitur, vel Spiritus ejuſdem tenoris. Sin *acidum* ſuperaddas, *acidum* volatile Spirituoſum expromitur. Nihil ſalis volatilis aut Sanguini, aut alteri corporeæ particulæ adeſt, niſi utriuſque *Pugilis* compoſitionem ſpectet vel ſortiatur. Ubi-

cumque fixum concipis, capiti mortuo elixiviandum, id nisi merum *alcali*, saltem aliquali *acido* remanente Salsum est.

Pars corporis exempta nulla, quæ volatilitatem alterutram non promat. Sale conditæ *Carnes*, ubi salsum sanguineum profuderint liquorem, excipiantur. Coctus ille liquor, despumatus, humidoque superfluo per retortam evocato, reddit *alcali* carnis, quod *Sal commune* exsorpserat, carnique sustulerat, quatenus *acido* suffarctum est.

Ipsamet *Excrementa* vel coagulum *Pugilum*, vel alterutrius dominium agnoscunt. *Sudor*, qui corpori evaporat Salsus, misturam hanc sapit. Sordidis ex indusiis lixivio immaceratis eliciendus liquor merum effundit *alcali*, ubi *acidum* à lixivio insorptum sub digestione à suo detinetur compari.

Quid *Urinam*, quid reliqua? Spiritus volatilis elicitus documento sufficienti est. Quid quod nec iste sine *acidi* copulâ, ni detentum illud fuerit? tetigimus antea *Salem armoniacum*, ejusque Spiritum. Quid ulte-

ulteriori excursu opus? quod reliquis obtinet in circulis, obtinet & in animali.

PALÆPHAT.

Rejicit Resolutiones: alia desiderat comprobatoria.

Dubias omninò *Resolutiones* quid in Regnum animale nunc introducis? *Pugiles* tuos hinc omnia Animalium clymata perambulare nunquam solidè probaveris. nec fundamentum supercilii ullum est, quod eos in Salium Volatilium locum subornare didiceris. Toties jam de suâ incertitudine convictæ *Resolutiones* non merentur heîc subsumptionem.

Ignis vim dissimulas; interventum ejus quasi ignoras. Figurarum commutationes, dum particulæ variæ aliter disponuntur, moventur, miscentur, situantur, esse substantiales commutationes quasi nescis. Tam asperâ ergò tegis conchâ Margaritas tuas, ut fugiam accessum.

Quin Sanguini, Ossi, Carni, reliquisque Partibus Sal eliciatur volatile: eliciatur quoque Excrementis artificiosâ manu. Quin depromi

possit volatilitas *alcalica*, & à fixo quopiam detineri *acidum*. Nec *Spiritus volatilis* aliud quid sit, quam Salis liquefacti aculeus; vel salem hunc referat Spiritus condensatus; & præstet generositas unius, quod vix alterius conatur.

Omnibus his obtentis quid exundat emolumenti, aut boni? Quis herbam tibi abindè porrigat? Quis tam præruptis hiatibus se commiserit? Nimis mira de lente! Vix Symiam formâ hâc æmulari possis, licet tibi *Nireus* videâris. Proindè hunc insistere amplius cursum desine. Si quid noctis offusum hactenus *Medicis*, meliori, necessum est, discutias auspicio.

NEOCHM.

Cum Alimento assumi Alcali & Acidum asserit, sicque transire in substantiam alitt, quin Sapores inde dependere.

Ita me Musæ ament, vix dignus videris, cui *Resolutionum* certitudo ulterius aperiatur, adeò contrà torrentem niteris. Nec officit ingenii sterilitas, aut laboris fuga, at sola prævaricandi lubido. Sed auscultabo adhuc

adhucdum, & aliorſum veſtigia ſolidiſſimè vertam.

Partes autem Corporis alimoniam ſpectantes exordium ſuggerent. Balſamus ſuo cortice involutus ac denudandus *Alimentum* omne eſt, ſive id contribuat regnum vegetabile, ſive animale. Per illud particulæ *acidæ* & *alcalicæ* ceu fixæ, ceu fuſæ, ceu volatiles, ſunt commixtæ oleoſis, viſcoſis, terreſtribus, aquoſis, atque utplurimum ſuppreſſæ.

Omnibus variâ præparatione variari ſtatus ſolet, quin augmentum aut decrementum nunc his, nunc illis ſubinde conferri. Subticeo Condituras, ac Salſaturas; ſubticeo hinc inde emolumenta aſſcita, quibus reprimitur hæc, & exaltatur altera particula; quibus ad fugam & avolatum cogitur, vel incarceratur & impediatur nunc hæc, nunc illa.

Per omne ſanè alimoniæ genus harum variante cum aliis particulis mixturâ ac temperaturâ ſuboritur Sapida varietas. Prout cubat *alcali* vel *acidum* latenter, aut ſuperemineneter, pro eo *Alimentum* quodvis vividè, acriterque magis minuſve

linguam ferit. harum ex temperie gratia omnis. Sin *acidum* volatile indominetur, *Sapor* necessariò manat *Acidus*. Sin idem fixum cum terrestriori copulâ, *Austerus* exsurgit, vel *Acerbus*. Per *Alcali* supereminentiam *Acer* adest. per illius mage fixati, ac quasi retorridi excellentiam *Amarus* prominet. Utriusque tam *acidi* quam *alcali* immediatum coitum, quo sibi debitè nupserunt, subsequitur *Salsus*. Ubi nulla *Pugilum* sensibilitas, aqueis, Oleosis, Viscosis, aut terrestribus eos subjugantibus, *Dulcis* confertur *Sapor*, vel affinitate juncti alii.

Sic Particularum harum miscella Saporum species procreat; quin status diversus fixationis, fusionis, ac volatilitatis, & graduum in quoque distantia easdem diversificat. Sapiditas sanè Alimenti stabilit *Pugilum* miscellam.

Vix ergò Esculenti, vix Potulenti quicquam corpus Animatum subintrat, quod non imbuatur illis. Laxa tamen horum plerumque copula, mediantibus particulis aliis oleosis, aqueis, terrestribus, viscosis, ac superemi-

peremineutibus. Sub his nec excluditur illis præſentia, nec permanentia.

Quid quod nec obſtent permutationes, quas in corpore ſortiuntur. Comparent equidem reliquiæ in excretis; tincta, & imbuta ea percipias. quinimò licet exhalent, & ſecedant innumeri horum atomi, remanent tamen in alito corpore multò plures.

Hinc vario victus generi conformantur *Succi*. Hinc commeſtis à Vaccis gramini, vel ſtramini conforme eſt colore ac ſapore *Butyrum*: Et anni temporibus Lactis, Butyrive ſalubritas reſpondet, quatenus *alcali* vel *acidum* magis provenit. Sicut vim Catharcticam per Capram, Nutricem, ad Infantem ubera ſugentem tranſire cognitiſſimum, ſic & noſtros *Pugiles* concipiendum. Sicut magni intereſt cujuſmodi herbis Apes inſideant ad Mellis bonitatem, ſic non minus, qualiter conſtituti in Alimentis *Pugiles*.

Nec licet aliter, aliterve diſponantur, figurentur, moveantur, contemperentur, abſiſtunt penitus:

Temperata utplurimum congeries quâcumque mixturâ compacta remanet. ejus ſuggeſtu Chylus, Sanguis, & omnia corporis neceſſariò imbuuntur. Igitur quî dubites præſentiam horum in Animali, quum quotidiano ſuggerantur Alimento?

PALÆPHAT.

Nequidem ab alimento ad alitum argumentationem valere; Saporum cauſas aliundè ab aliis deduci regerit.

En nunc palmarium ab Alimento ad ſubſtantiam aliti! Sic invenis ſcilicet *Alcali* & *Acidum* in Alimento omnï, velut in eodem prato Bos gramen, Canis Leporem, Ciconia Serpentem. Omnes ergò hujus particulas frequens implet *Pugilum* ſedulitas, nec vis nutritoria extra hos?

Quid nunc interſit inter *Alimentum*, *Medicamentum*, *Venenum*, forſan ſola gradualis Partium extenſio, quibus iiſdem reſtaurent, mutent, ac deſtruant? Juſta ſic proportio, & portio adæquatam ſufficit cuilibet materiam, alias indifferentem? intolerabilis equidem

illa

illa confusio est rerum tam discrepantium.

Taceo, quod nequidem in *Alimentis* comprobaveris tuos *Pugiles*.

—— Valeat possessor oportet,
Ut possit potiri, quod amet.

Sin experimentis dubium non tolerantibus astruxisses eos Alimentis, non tam ficulnea & rejicula tua argumentatio inde foret. Nunc quæ de *Saporum origine*, quæ de aliis subjuncta, ad probandum sublestæ fidei sunt. Ignota per æquè ignota explanas.

Sali, aut Salinis tuis principiis Sapiditas haud debetur. hâc alienâ *Paracelsi* insaniâ quid tuam stabilire pergis? tam denudata ab aliis jam est, ut supersedere ego possim. Proindè audaces hujus argumenti minæ omni sic virtute exutæ cadunt.

NEOCHM.

Fermentationem Chyliferam in Ventriculo à congressu alcali & acidi volatilium deducit: Salivam Fermenti suscitabulum; reliquias acres & Salinas contendit, non à solo acido efficaces.

Quî cadant, quum nequidem subduxeris fulcra, sed meris respuas verbis *Alcali* & *Acidum* in *Alimentis*. Possem nunc id edocere pluribus, ni ad alia properarem. Insunt sanè omnibus; effectibus produntur innumeris; exsolvi iis possunt examine ignis.

Quin immanent, dum in Succum & Sanguinem transeunt. Sub Dentium quidem molendina rudimentariam solutionem à subintrante tolerant *Salivâ*, qua deinde simul deglutita fermentescunt in *Ventriculo*. Ast *Saliva*, licet insipida sanis, parum quidem *alcalicæ*, pluscul m *acidæ* spirituositatis sub aquositate copiosa continet: hinc genuinum *Fermenti stomachici* suscitabulum est, ac præcipuum illi momentum. Quin ab ea continuatim depluente rugis *Ventriculi* insidet Succulentia fermentalis. Sic in delitiis est, ac subtilitate menstrui resolventis vicem gerit: hujus enim defectus, ventriculi est; hujus vitium, illius. Continuatus ejus incubitus albas, tenaces, & raras suppeditat reliquias, quatenus *acidum* in *Salivâ* latitans,

& cibis

& cibis advolutum, ſibi adunit *alcali* eorum, & ab exeunte cibo remanet.

Odor hinc ſubfracidus, Sapor nitroſus. Adeò namque poris Ingeſtorum ſe inſinuat *Acidum*, ut laxet, ſolvat, fundat ſolidiuſcula, quo *alcali* ſuum ſibi aduniat. hinc oleoſa nutritoria reſerantur à fæculentiis, hinc fixa fluorem adipiſcuntur, dum blandus fermentationis proceſſus eſt. Sicubi immediatus quandoque occurſus *Pugilum* eſt, *ſalſificam* ibi *volatilitatem* concipere licet. Centralis per omnia ſolutio obtingit, non ſuperficiaria, nec enim alias ſuis latebris recluderentur. Opus certè Naturæ vix *Hermeti* imitabile.

Obſcurus candor inde manans inditium certiſſimum *Pugilum* eſt, ut id in regno vegetabili pluribus monſtratum. Particulæ alimenti etiam opimiores, dum ſuæ unioni inſtant *Acidæ*, & *Alcalicæ*, ſubalbicare inceptant. *Lacteſcentia* hæc obſcura, & *Fermentatio* peculiaris quidem *Ventriculo*, neutiquam tamen aliena ab aliis agnoſcens principia.

Quic-

Quicquid peculiare est, loco, & foco debetur, quo excitantur in actum.

Ipsamet *Effervescentia*, de quâ alibi, à *Fermentatione* hâc solo differt gradu. Finis utriusque non est vinculi salini dissolutio, sed *Pugilum* copula, & unio. Quum alienis nimis particulis intercedentibus involuti jacent, & tamen suscitantur blando calore, antequam hæ dissolvantur, comminuantur, ac submoveantur, unionem obtinere nequeunt; hinc sensim blandam moliuntur commotionem, & *Fermentescunt.* Ubi excellentiori gradu, absque involucris, & impedimentis coëunt, *Effervescunt*; idque quo fixiores, & efficaciores, eò expeditius.

Quin supervenit *Fermentationi Effervescentia*, quando semotis compedibus heterogeneis, exsoluti in arctiores amplexus ruunt celerius, ac vehementius. *Ventriculo* id præter naturam solummodò accidit, cum malorum iliade. Hic excessus *Fermenti* à Fructibus horæis, Musto, aliisque sæpius, quatenus *Pugiles* incoërciti,

coërciti, ac sylvestres, naturæ genium excedunt: turbulenta tum, & impacata omnia.

Alias impetuosus nullus insultus in *Ventriculo*. Si quid turget, & urget nimis, Pyloro aperto excedere solet. Quin expansio à sumpto cibo nulla, nullus secundum naturam tumor obtingit, velut in fermentatis reliquis. Blandè ac insensibiliter procedit negotium, nisi interturbetur.

Magna interim diversitas *Fermenti* ratione *acidi* & *alcali*. dispar ejus ratio in omni individuo. Ipsamet assumpta immensùm variant. Pinguia nimis licet haud excludant *Pugiles*, profundè tamen illos absconsos gerunt.

Salis, ac *salsorum* copia impedimento est fermentationi; hinc enim tam potenter prævalescit *Acidum*, ut præcipitet suum comparem. Resoluta *Salsedo* vigorem illi nimium importat. Modica ergò condimenta meliora: quæ asservavit *Muria*, quæ nimium condita Sale, melle, Saccharo, aceto, difficillimæ Fermentationis sunt, nisi emen-

emendentur, & liberiori potu eluantur. Inepta quoque *Cerevisia*, ubi ex aquâ salsedinem nimiam amplectente cocta est. Modicum alias *Salis* Fermentationem nec sufflaminat, nec tollit.

Putridis quibuscumque quia nec *alcali*, nec *acidum* amplius inest, ineptitudo officit. *Aciditas* tamen initio putredinis modicè prædominans, non inidonea. Ejus verò excessus qualiscumque nec concipi, nec excusari debet.

Acidum licet Appetitus habeatur suscitabulum, Ciborum pronubus, & Chylificationis incentivus, fenestram tamen nimis latam aperit, quatenus *alcali* in eum neutiquam debitè insurgere potest. Nec enim solius *Acidi* est opus Chylificationis: testatur id vini Spiritus in emolumentum ejus sæpiculè assumptus. hinc quippè Spiritus volatilis alcalicus invalescit.

Certè nimio cogitatu exercuit hactenus *Æsculapii* progeniem *Acidus vel humor*, *vel Spiritus*, qui vacuâ *Ventriculi* in culinâ agitatus suscitet *Appetitum*, alias ingesta fermentet.

mentet. Nullo tam certo Sapori fermentationis reliqua asscribi potest. Prævalet quidem sæpius, ac indominatur Ventriculo *Acidum*, at à suggesto Ciborum *alcali* adeò per congressum infringitur, ut inde *salsedo & acrimonia volatilis* subnascatur. Hinc nec eminenter perdurat fermentationem, nec reliquiis immutatum immanet Eugis stomachicis.

Vacuum Ventriculum visitantibus facile id expertu. ferit ita linguam, quod Avium, Canum Vitulorum, Ovium interaneo eximitur. Nequidem aliud exhalavit *Helmondtio* suus Passer.

Nec ulla hinc lis exsurgit *Aciditati*, ut inde secludenda. Copulam saltem hujus variantem cum suo compare statuminat: distemperatum sic *Acidum*, vel paulisper infractum suarum tamen virium semper compos est: & Chylus scoriis adhuc socius inde tantò melior.

Rectè enim *Medicorum* turba etiam ex acore nimio deprehenso læsam proclamavit Chylificationem. *Cruditas Acida* è Ructibus, acidulisque

lisque vaporibus probè collecta. Quin Vomitu, vel secessu ejectum *acidum* in Hypochondriacis, aliisve præternaturale benè judicatum.

Omnis certè *Ventriculi digestio*, totius *Chyliferæ fermentationis* cardo in *Pugilum* justo congressu consistit. Defectu alterutrius nec laborat, nec potest ille quicquam. Non aliundè æquabilitas *Chyli*, quâ pulticulæ subit speciem. Et quidem perderem verba in re tam confessa, sin hoc pluribus.

PALÆPH.

In Fermentatione Ventriculi Chyliferâ Pugilum congressum non necessarium agnoscit.

Quid confessæ rei sit? Vulgatum Chylificationis negotium vulgatos trahit dissensus. *Ventriculus* in opprobrium Artis natus videtur, quod tot exagitetur dissidiis. Culinæ hujus primæ nequidem modus percognitus. Quantâ autem tu conceptuum libertate pruris, dum ad tuos prolaberis *Pugiles*?

Fermenti explicatum, *Salivæ* efficaciam salinam, ac spirituosam, *Spiritum* exindè *acidum* Ventriculi

cava perambulantem, Subſtantificum calorem ſpiritu vitali ſuffultum exoſculor ac ſuſcipio. Nulla tamen exindè *Pugilum* tuorum vel demonſtratio, vel neceſſitas. reliquiæ, ut venditas, congreſſum eorum nequaquam ſtatuminant. Sui generis Fermentum acidum *Ventriculo* conceſſum eſt.

Ipſamet *Saliva* cum alimentis inglutita ut fermentum molitur loci calore adjuta, ſic aceſcit, & fraceſcit intimè mixta. Soluta ubi ſolida, cumque liquidis permixta ubi aceſcunt, albicant, conglutinantur, & cohærent, quid fiat, concipere facilè eſt.

Reliquiæ plicis reſtitantes, ut ut ſymbolum contulerint fermentationi, nec *ſalinæ*, nec *acidæ* adeò ſemper in diſſectis deprehendendæ. Frivolum eſt autem conjectari congreſſum *Pugilicum*: Nec quadrant effectus moderamine conſequi. Quin nec læſa ex nimio *Acido* Chylificatio ſtatuminat *alcalicum*, quam prætendis, temperiem.

Sempiternus *Pugilum* congreſſus continuam progeneraret *Salſedi*-

nem,

nem, & omnis inde *Chylus* non *acidus* excederet Pyloro, ſed *Salſus*. Verum alias Salis, ac ſalſorum eſus nimius impedimento Fermentationi eſt. Quin quoque Salis copia in ipſo Pane fermenti actum aut ſufflaminat, aut tollit. E Sale interim diſſoluto *Pugilibus* tuis augmentum accederet, non caſus. Sin impedit ergò fermentationem, certè illis originem haud quaquam debet. Non adjicio hujus generis plura. tu ſaltem ubi tutò pedem figas, vix habes.

NEOCHM.

Efferveſcentiam in Inteſtino tenui à Bile & Succo Pancreatico, velut Alcali lixivo, & Acido ad Chyli Secretionem adducit.

Abundè jam tuis obteſtationibus præcautum. Non ſuboriunda ullibi Salſedo aut volatilis, aut fixa, niſi ubi immediata & ſufficiens *Pugilum* copula. In *Ventriculo* ea rara & parca, ob particularum in Alimento heterogenearum interventum. Sicubi ea contingit, Salem expromi volatilem non abſurdum, aut incongruum eſt.

Abundans nimis ſal. fermentationi

ni noxius: *acidum* inde nimium excrefcit. Modicus calor fixum *alcali* in Sale nec folvere fatis, nec excitare potis eft in fufcitamen fui congeneris.

Ventriculo omnis effervefcendi modus noxius, quod moderamine fuftineatur ejus actio. Blandior *Pugilum* congreffus infervit Chylificationi. *Lactefcentia* Chylo impreffa ejus inditium eft.

Reliqua acrimonia volatilis immanens plicis non aliundè originem trahit. Quin ipfamet maffata Chyli moles fubalbicans, glutinofa, ac fracida nec *alcali*, nec *acidum* fupereminenter refervat: Continuo quafi filo elabitur Pyloro, nec ullam coctionis metam exfpectat.

Dum proximo Duodeni, aut Jejuni abditur finu recens exterminata, novum rurfus ac defideratum fubit exercitium Imperfectus enim in eâ partium impuriorum, ac vifcidiorum à purioribus & fluidioribus fuerat faltem feceffus. Ex parte puris, ex parte impuris permixti *Pugiles* negotio fecretionis impares manferant. Hinc Palæftram novam

for-

ſortiuntur quatuor circiter digitorum diſtantiâ ſub Pyloro.

Iſthûc enim loci Rivulus duplex, ex Oriente unus, ex Occidente alter; ille lixivum ferens *alcali*; hic *acidum*; non ſine utriuſque commotione & *Efferveſcentiâ* effunditur. *Bilis* videlicet, & *Succus Pancreaticus* proprio quilibet ductu, at communi in homine potiſſimùm ore cavitatem inteſtini immanant, & *Pugilem* utrumque de novo ſuppeditant tranſeunti Chylo.

Abhinc ille protinus ſubigitur, ſuccutitur, commovetur, quaſique tribulatur, ut ſubſideat fæculentia omnis, & purioris partis latex ſupernatet. *Alcali* è Bile lixivum viſcoſitatem chyloſam diffringit; *Acidum Pancreaticum* eandem divellit, & diſcerpit. Amborum concurſu & vigoroſo molimine, quo ſibi uniri affectant, obtingit heterogeneorum ſequeſtratio, & nobilis, albaque ad vitam ſuſtentandam emergit tinctura.

Lacteus enim candor non ſolâ fæculentiâ abſcedente manat, ſed quod albicantior ab exercitio *Pugilum* evadat

evadat Chylus. novo ille hôc ſuſcitabulo indigebat. jam ad actum enervati erant *Pugiles* Chylo immerſi; erigendi ergò; quin & ſubagitatione redintegratâ promptior partium ſeceſſus procurandus.

Celeri *Bilis* & *Succi Pancreatici* contactu, dum actuosè efferveſcunt, imbuitur Chylus. Sic exprimitur, ac recolligitur notabilior purioris copia in alimenti ſymbolum tranſitura. Quin & incitabulum ſortitur ingreſſivus Chyli motus. Subdit hanc mutationem oculis; ſin benè paſti animalis interaneum ibidem loci viſitetur; nec enim tum excuſſio ventilatoria inconſpicua.

Cæterum in *Bile* velut nobili naturæ Balſamo retorridum *Alcali*, lixivumque reſidere arguit, oculiſque ſubjicit ejuſdem *Reſolutio*. Sociatur ſcilicet Spiritui volatili; ſociatur oleoſæ pinguedini, attamen cum prædominio. Hanc enim quaſi diutinâ calcinatione, ac reverberio obtinuiſſe videtur. hinc nec acrimonia abeſt, quâ mordet, irritat, ſolvit, incidit; moderamen licet

ac temperiem trahat ex consortio suo.

Rursus potenti sat *acido* gaudet *Succus Pancreaticus*: distemperato nihilominus naturaliter, ac sub mixscellâ Spirituum volatilium, & aquositatis occultato: hinc illud magis minusve remissum, magis, minusve vigorosum. Nec lascivit ex naturâ, sed delibuitur, ac reprimitur. Interim tamen ex *Acido* virium suarum palmam trahit *Succus*. Multiformis enim pugnantium commixtio neutiquam impedit effectus *Acido* requisitos. Gratiosior inde naturaliter evadit non inefficax. Sin nimis sublime indominetur *Acidum Succo*, excedit naturæ debitum.

Ut ergo in *Bile alcali*, ita *acidum* in *Succo Pancreatico*. Efficacissima illa duo *Pugilum* stabula sunt in corpore animato. Ubi *Bilis*, *ibi lixivum alcali*; ubi *Succus Pancreaticus*, ibi *acidum* semper & ubivis concipiatur necessum est. His fluentis, his Rivulis divagantur corpore, influunt in Intestinum.

Inibi *Effervescentiam* modicam, & mo-

& moderatam exſuſcitant. Proprio hôc ergaſtulo ſibi à Naturâ deputato potiſſimas digerendi, ac tranſmovendi exercent poteſtates. Inibi nubere ſibi tentant, contubernium Chyli adoptant dum operosè fervent, & effervefcunt. Notabilior haud alius locus toto corpore, ni forſan Cordis thalamus. nullibi enim, niſi hiſce duobus locis notabiliora *alcali*, & *acidi* inditia.

Chylus. hinc præterlabens ſuam ab impuris immunitatem haurit. *Salivalis Pituita* depluens à copulâ *alcalicâ* & *acidâ* duplici in *Triumfluem* tranſſumitur *humorem*.

Ubicumque utriuſque vel alterutrius *Pugilis* conſpirat ametria exſurgunt Febrium variarum exercitia, exſurgunt Morborum tam citò feſtinantium, quam diu durantium Cauſæ occaſionales. Inde *Pugilum* imperium præternaturale longè lateque extenditur, ac dilatatur, dum ſordes culinariæ ſubſiſtunt, vapores excuduntur, horrores perſentiuntur turbæque omnigenæ toto corpore percipiuntur. Id ſenſus ipſi edocent, obvia vulgo evincunt.

exempla, & magnis, ſupraque Vulgus Medicorum ſurgentibus intentis explorabile eſt. Sed nos nunc Naturæ curſum prius deproperamus.

PALÆPHAT.

Secretionem Chyli; Bilis, & Succi Pancreatici appulſum exponit aliter. Efferveſcentiam naturalem & ſempiternam inteſtino nullam concedit.

Siccine confundere tentas omnia Reipublicæ animalis argumenta? Siccine alienis incubas ovis ad excludendos tuos fætus? Mirum ubi jam tandem officii ratio remaneat *Ventriculo*! quo genere tibi eſt ille, quum ſub pyloro demum ſcenam Chyli compleri doceas? Confuſane ergò Organa fermentationis, ac diſtributionis ſunt? & perfectio, abſolutioque Chyli in Inteſtino, quidni ejus ſaltem appendiculum *Ventriculum* prodat?

Pugiles hic ſcilicet in Ventriculo propullulantes neſciunt gradus in complementum Chyli requiſitos. Allapſum novum *Bilis* & *Succi Pancreatici* ſpectant, velut *alcali* lixivioſi, & *acidi* fortioris, ut illis ſuſcitabulis demum efferveſcant. Videlicet

delicet excellentior gradus transmutationis necessarius ab exoticis copulatis *Pugilibus*; his furtim in societatem transeuntibus Chyli complementum asscribis; quin in *Bile alcali* retorridum, lixivumque; in *Succo Pancreatico Acidum* firmissimè locas, & ex his fluentis perpetuis derivas, & mutuas *Pugiles* tuos. Sic palæstram statuis, quâ exerceatur *Medicus*; sic pistrinum illi aperis naturali ex fundamento; quasique uno oris flatu, velut *Anglus ille*, maximam in Sylvis quercum eradicari posse doces.

Sed nullas adhucdum argumentorum tubicines percepi, quibus omnia hæc suffulcias. Magnificæ, fateor, conjecturæ sunt. *Effervescentiam* comminisceris naturalem sub Pyloro, Chylo secernendo necessariam, nullis tamen hactenus Dissecantium oculis detectam, nullis tam vivi, quam demortui animalis exemplis fundatam.

Vacuum in benè pasto animali Intestinum est circa ingressum *Bilis*: Turgidum, & aliquando bulliferum, quum influit Succus. Ve-

rum ubi quicquam *efferveſcit*, intumeſcit, elevatur, exuberat, omni dimenſione expanditur. Furunt *acidi* liquores in lixiva *alcalia*. Congreſſus meræ vehementiæ ſuſcitabulum: nec Sanitatis ſtatus illam tolerat, nec blandus & intervallaneus *Bilis* & *Succi Pancreatici* allapſus eam excitat. Gradus ad *Efferveſcendum* ſublimiores deſiderantur.

Nullius *efferveſcentiæ* capax eſt, quod blandum ac mite, quod vix ſenſibile, quod copiosè non influit, ſed guttatim impluit, lenteque irrepit. Ipſemet *Efferveſcentiam* à *Lacteſcentiâ* inter Vegetabilia diſtinxeras. Nunc quur à prædictis reſilis?

Extra corpus *Bilis* ab affuſo *acido* in Vitro radiis ſolaribus expoſito effervescit. Intra corpus ubinam æque potens *Acidum*? Sin indigitaveris mihi iliud,

—— *Tum Phyllida ſolus habeto.*

Succus Pancreaticus neutiquam naturaliter eſt *acidus*: nuſpiam ejuſmodi inventus. Dulcedo Pancreatica obſtat aciditati. Salivæ genium refert,

refert, ac indolem, illiusque effectibus in intestinum depluens explorabilis est. Glandulæ effectrices, Ductus, & geniales loci communes; ac analogi tam *Salivæ*, quam *Succo Pancreatico*, communitatem utriusque monstrant.

Nec Chylus Pyloro excedens *Acido* alieno ad *Effervescendum* habili indigebat, ipsomet in Ventriculo sat *acidus* jam factus. Et gustu, & ab odore subfracido, & restitante id colligibile est. Quin glutinositas ac Viscíditas ejus sufficienti argumento sunt.

Fusio, colliquatio, attenuatio, promotio illi necessaria. hanc Duodenum illabens à suggestâ paulatim *Bile*, à suggesto *Succo Pancreatico* nanciscitur immutationem. his admixtis funditur successivè, attenuatur, ac promovetur: Consistentiam fluidiorem nanciscitur: crassities, & viscositas illius infringitur.

Operosa huic operi nulla *Effervescentia* necessaria. Sufficiunt liquores ad crassitiem & viscositatem sustollendam & perluendam. Sufficiunt

ciunt ſuſcitandæ Promotioni. Quin Biliosa acrimonia, & Succi Pancreatici vis attenuans, ac fuſilis ſub aquoſitate latitans iſthuc egregiè conſpirant. Sin *Effervescendo* coirent naturaliter, velut concipis, ejuſmodi effectus nulli forent. Deſinit enim Ductus Pancreaticus in Bilarium, priuſquam ingrediatur Inteſtinum in homine, aliiſque animantibus. hinc ab immediatâ Succorum copulâ obtingeret *Effervescentia*, antequam Chylo advolverentur. Nec uſque protrahi poſſet, viribus infractis: quin mox inde coagulatio, & præcipitatio, inaggreſſo Chylo, ſin *Acidum* in *Succo Pancreatico* tam potens, velut *alcali* lixivum in *Bile*. Quam autem fruſtranei illi conatus, ubi integræ vires poſtmodum forent uſui?

Proindè ſufficit ſimplex liquamen, ſimplex fuſio ab utroque liquore Chylo obtingens. Seceſſus hinc ſpontaneus puriorum ac fluidiorum ſupernatantium à fæculentioribus ſubſidentibus. Apparatus haud alius neceſſarius. Sic fuſus & attenuatus Chylus ſat opportunus

Vena-

Venarum ingressui. Accedit Motus Intestinorum peristalticus, & conducit partium secessui. Quin copiam Chyli puri protensio Intestinorum suggerit.

Cætera, quæ de *Bile* & *Succo Pancreatico* velut serius veri ruspator suggeris, nullo mihi numero sunt. Vix auguror tempestates, quæ ex fumis istis coire possint.

NEOCHM.

Effervescentiam ab Alcali & Acido in Intestino stabilit, ac pluribus deducit. Succum Pancreaticum Acidum confirmat.

Quasi cum *Pœnis* damnares *Hannonem*, quod Leonem primus manu tractasset. Quænam Ventriculi injuria, quod illius fermentationem chyliferam excipiat in Intestino *Effervescentia* purificans? Viscerum ergò subsidiariam opem excludis?

Sanè exeuntia Ventriculo Chylosa crassa & viscida sunt, sed liquidiora semper in Duodeno evadunt, & conspiciuntur. Fusionis & liquaminis ibidem loci eventus unde, nisi à subterfusis Succis, *Bilioso* &

Pancreatico, quorum Ductus exstant? Consistentiam autem liquidiorem, in quam transponitur Chylus, à solo succorum ingressu adoptas frustrà. Nec liquor solus, nec interposita tantula mora hanc subdere mutationem possit.

Efficacis potius cujuspiam intercursus, & exercitii concussorii ac ventilatorii argumentum inde herculeum desumendum, unde Chylus, qui exierat Pyloro, fluidior, & purior evaserit. Secretio necessaria; secessus à fæculentis requiritur; huic finitam diversæ naturæ Succorum copula ibi obtingit. *Bilis* sola sufficeret, sin acrimonia stimulans, & liquiditas solummodò exigerentur.

Succus Pancreaticus autem subterfusus cui bono? Adest ille naturaliter subacidus, quicquid cum *Gualtero Nedham*, cumque aliis obstrepas. *Salivæ* genium refert, fateor, sed & hujus *Acidum* sat effectuosum Ventriculo. Quin exundantior in eâ aquositas. Deprehensa autem fermè semper & ubivis *Succi Pancreatici* subaciditas. Hæc sicut Glandularum Pancreaticarum dulcedinem

Gualterus Nedham in tractatu de formato fœtu.

nem non destruit, sic nec hæc obstat illi. Biliosa amarities nullæ comparationi inservit. Saporis quoque differentia quæpiam ex variorum miscellâ *Succo* obtingente depromenda. Quin etsi insipidus ille comparuerit instar *Salivæ*, quidni nihilominus *Acidum* incluserit?

Sensibiléne semper *Acidum*, ubi exstat? Contrarium hactenus tam in regno minerali, quam vegetabili demonstratum infallibiliter. Regno animali quur idem denegandum? Præsertim quum effectibus sat valentibus tam præter quam secundum naturam patescat. Vitiosum & excedens quidni quoque naturale ac moderatum præsupponat? Distemperati effectus quidni temperatam constitutionem coarguant? Unde introduceretur *Acidum*, ni alicubi in vinculis detentum delituisset? Ut variis in habitaculis corporeis sedem fixit, ut vario sub latice circumvagatur, sic potissimum in *Succum Pancreaticum* stabile conficit iter.

Omnibus quidem Glandulis corporeis naturali congruitate innasci-

tur, potissimum tamen *Pancreati.* perplexis enim se illi insinuat ambagibus, Succusque illius *acidum* Intestino importat, velut *Bilis* lixivum *alcali.*

Hinc *Effervescentia* naturalis ibidem, licet tu eam indignis exagites modis. Quid enim? Blandam hanc, mitem, insensibilem concipere nequeas? major, minorve confluentium *Pugilum* activitas absurda foret? *Lactescentia* graduum diversitatem designat; at *effervescentia* eandem quoque in se habet. jam Sanis, jam ægris accidit, his cum excessu, illis cum moderamine. Chylosa aciditas ad eam haud sufficit, quia refracta est, & tantilla, ut bilioso *alcali* improportionata & insuffena sit.

Frustrà quoque hanc, excluso *acido*, quod in *Succo Pancreatico* est, allegat *Nedham.* Nulla inde ebullitio, aut lenissima commotio, nisi *Succus Pancreaticus* intimè simul commisceretur. junge enim illius Chyli partem *Bili* è folliculo depromptæ, notabilem nullam observabis *Effervescentiam.* junge autem *Succum*

Succum Pancreaticum & *Bilem*, sub debito regimine, dubio omni exsolvêris. At ut *Succus* merus, & genuinus habeatur, laborandum est.

Quinetsi ante ingressum in Duodenum immediatè sibi commisceantur *Bilis* & *Succus Pancreaticus*, non mox *Effervescentiæ* actum occeperint, vel compleverint, ut Chylo post advoluto inde nullum commodum. Nec enim subitaneum, aut violentum adeò opus est; sed successivum: admista *Bili* est oleositas, admista *Succo* aquositas. his laxatur copula; & congressus, sive combinatio adeò prorsus immediata non est. Quum *Bili* Spiritus acidus minerali alicui extractus confunditur, indè confestim attenuatio, *Bilis* decoloratio, & in consistentiam fluidiorem transpositio suboriunda. *Acidum* verò hujuscemodi minerale in corpore animato frustrà concipitur.

Temperatius in *Succo Pancreatico* naturaliter *acidum* est, lentissimè instillatur, pigrè depluit, & laboriosa id docet satis collectio. Non tamen hinc arguendum, *Bilem* fal-

tem cum Chylo acido per pylorum delapso effervescere; *Succum* verò *Pancreaticum* insipidum, nec ullius acoris participem affundi ad promovendam fusionem.

Unde ergò postmodùm *Succus* acquireret *Acorem*, quo cum *Bile* coagulatus in excrementum facesceret solidum, ut vult *Nedham?* Ni è *Pancreate* eum attulerit, è Chylo certè refracto non hauserit.

Verissimum enim quod successivè producatur *Effervescentia*; aperto quippe intestino hanc successionem, hos refractionis gradus experiri licet. locus primæ ebullitionis maximè conspicuus. Ultra hunc prolapsæ activæ particulæ, *alcalicæ* & *acidæ* remittunt paulatim, minusque vigorosè vadunt. in extremis tandem exigua activitas. vel ipsemet amaror tum contenta naturaliter deserit.

Nullam amaritiem in stercore canino ægri, nullam in proprio suo commesto expertus est puer *Helmontii.* derelicta flavedo *Bili* quoque neutiquam favet. infantum enim flavissimum Canibus nihilominus in

delitiis

delitiis eſt. verum abſtinerent vel unicâ fellis guttulâ aſpersâ. Quin viriditas cum torminibus abundantis *acidi* in *Succo Pancreatico* ſolet eſſe inditium. Mangonia & cætera colorum lenocinia non tango, quæ viribus illibatis obſcurare queunt *Pugilum* præſentiam.

Certa ſatis aliundè eſt *Efferveſcentia* inteſtinalis, & remiſſio virium obtingens *acido*, & *alcali*. Certa *Salſedo* volatilis ex immediato *Pugilum* volatilium occurſu prognata; quandoque manifeſta ſenſibus; utplurimum occulta in Duodeno ab interventu heterogeneorum.

Quicquid enim volatile eſt, aut per Efferveſcentiam redditur, ſin immediatè commiſtum, in Salem abit volatilem: Sin impermixtim maneat, & ex *alcalicâ* progenie ſit, in Spiritum volatilem tranſire pronum eſt: alias ex progenie *acidâ*, in Spiritum acidum. Hiſce Chylus omnis tranſſumptus in venas eſt delibutus; abſque plus minuſve ex omni alimento provenientibus hiſce corpori ſe non inſinuat.

Fixum quodcumvis præceps ruere

re ſolet, ubi efferbuit, & per actuoſam ebullitionem à volatili ſegregatum eſt. Uſui huic nobiliſſimo inſerviunt & *Bilis* & *Succus Pancreaticus.* Chylus ita commoderantibus iiſdem & *Spiritu volatili*, & *Spiritu acido* delibuitur, atque imprægnatur.

Ubi verò ille abſumptus, perſtat nihilominus impluvium & *Bilis* & *Succi Pancreatici*, nec ceſſat Effervescendi actus, nec ceſſat uſus. *Saliva* inglutita perpetim, & à Ventriculo ſenſim reddita confluentibus, ac confligentibus tum adeſt.

Saliva, quæ ſub aquoſitate ac viſcoſitate, nec *acidi Spiritus*, nec volatilis *alcali* reſpuit contubernium, ſed eorum efficacia ſeminaria poſſidet. *Saliva*, quam ſi vaſe exceptam aliquantò temporis ſiveris, glutinoſitas, & concretio viſcoſam prodit; ex quâ ſpumoſa & viſcoſa *Pituitæ* in inteſtinis moles exſoboleſcit.

Hæc ergò dum concumbit *alcali lixivo bilioſo*, & *acido Pancreatico*, actumque agnoſcit Effervescendi, coaleſcit ſimul, éque ternariâ illâ confluentiâ exſurgit *liquor ſingularis.*

Pars

Pars maxima, emasculata, viscosa, ac tenacius coagulata remanet Intestino, ac in stadio Sanitatis evolvitur cum fœcibus. Pars nobilior, fluxilior, & volatilior insorbillatur ad instar Chyli, sensim in venas.

Clar. & Excellentissimus Sylvius assertor, ac propalator est hujus satis strenuus.

Non adeò hæc fæculenta Scoria est, ut vult *Helmondtius*, licet ens hactenus anonymum. Lympidæ instar affluentiæ invadit, reservans & ab *alcali*, & ab *acido* spirituosam, ac volatilem copulam, sicuti ex concursu surrexerat. Nec inficere succedentem, aut prævium Chylum potest, ut adeò ille incommodus: quin plurimis conducit modis, dum omnia corporis perambulat naturaliter, ipsique massæ se insinuat Sanguineæ. Hujus enim abditissimo reconditur sinu, nec absque virium Pugilicarum expromptissimâ excellentiâ.

Præcipuum interim illi redundat *Acidum* tam è *Succo Pancreatico*, quam è *Salivâ*, licet id per solennem *Effervescentiam* inierit conjugium cum *Bilioso alcali*.

Abhinc ergò aptitudo naturalis con-

concrescendi in Sanguinem devolvitur. *Spiritus* enim inhospitans *acidus* est Spiritus figens, ubi libertatem nactus, ab excessu volatilium præsertim.

Strictum id unionis vinculum in emisso visendum sanguine. Coagulum quodpiam alias naturale suggerit *Humor* hic *Triumfluus*, & ad debitam consistentiam disponit *massam Sanguineam*. hujus excessus, defectus, & immoderatio quantum incommodi moliatur corpori, nunc non edissero. Suffecerit indigitasse nec *acido*, nec *alcali* suas exclusas in corpore stationes, suos progressus.

PALÆPH.

Effervescentiam intestini nonnisi præternaturalem, acidumque præternaturale; nullum verò Triumfluem humorem agnoscit.

Nimis horridam & tenebricosam viam teris, quasi *Effervescentia* Chylo secernendo necessaria foret evicta. Fusio & colliquatio Chyli in duodeno melius à me explicata, quia *acidum* naturale desit *Succo Pancreatico.*

Et

Et quid occultum, vixque deprehensibile sensu *Acidum*, ut fateris, *Effervescentiæ* proritandæ? Imaginarium efficiens scilicet, quid aliud quam imaginarium effectum? Vix *Succum Pancreaticum* merum, naturalem, corpori exemptum cum *Bile* efferbuisse quis viderit. Minerale *acidum* vix effervescentiæ aptum, nisi purum, & sat efficax: ejusmodi naturale nullum in corpore animato.

Præternaturale *acidum* turbas ciere corpori plurimas constat. Ab hostili, ad amicum ad tolerabile nullum stringit argumentum. Degenerat certè quandoque à naturali congruitate *Succus Pancreaticus*: in extremam acrimoniam, austeritatem, vel aciditatem transponitur Melancholicis, Hypochondriacis, Scorbuticis, Quartanariis, aliisque consimilibus.

Quinimò *Effervescentiam* præternaturalem tum Bili intestino commistus excitat. Scaturiens inde Symptomatum congeries id manifestat, evidentibus exemplis. Inductio interim præternaturalium naturalem

nec

nec infert perpetuitatem, nec necessitatem. Sedem Febrium intermittentium, Sentinam morborum in intestino tenui hanc agnoscit & Cl. *Bartholinus* cent. 3. Epistol. Diversorium hoc, & nidum illum benè detexit primus *Helmondtius*. Quin locus ille natalitius, centrum, ac palæstra illa negari nequit amplius. Num verò in Naturâ stabile ullum fundamentum repereat, ambigitur. Magnificæ aliis & propemodum Chymæricæ videntur latere conjecturæ.

Num *alcali* & *acido* Effervescentibus naturaliter aut Chylus indigeat, aut intestini protensio, id operæ, & laboris est? Num *Triumfluo* illo *humore* Sanguinis consistentia? num necessitas hujus subtegminis illi?

Helmondtius Scoriam, Ensque anonymum stercoreum suum per venas affuctum viis solis urinariis transscribit: Lotium illius naturale emunctorium statuit.

Necessarius verò transitus in Cor, insignis utilitas in Sanguine, intemeratus videtur conatus, iniquum sub-

ſubſidium. Quidni vel *acidum*, ſi neceſſarium, Lympha ſuffecerit, abſque hoc trium humorum conflictu & allapſu? Verum *acidi* nec ulla naturalis demonſtratio, nec ulla neceſſitas. Tu interim, nimiâ quod φιλοσοργία abducâris, etſi nulla veriſimilitudinis pondera ſubſtent, credis, quod concipis.

NEOCHM.

Triumfluum humorem pluribus confirmat, & explicat: illius acidum ſupereminens cum aliis jugem Cruori conſiſtentiam largiri evincit.

Non capis aut concipis utilitatem, quia vetuſtati incognita. *Bilis*, *Succus Pancreaticus*, *Pituita Salivalis* ad oculum ſiſti queunt. interiora Inteſtinorum triplicem hunc liquorem naturaliter exhibent. *Efferveſcentia* naturalis, tranſſumptio omnium in venas, concreſcendi vis inde in Sanguinem fuſa ex conſequio neceſſario deduci poſſunt & debent.

Quî *alcali bilioſum*, & *acidum Pancreaticum Salivali* junctum abſque commotione copularentur? idne operosè rurſus attexendum nobis?

bis? Non cessat sanè concursus *Pugilicus*, licet cesset transflabi Chylus. *Saliva* è Ventriculo depluens Chylo vicaria quasi est. *Acidum* quin etiam illius in emolumentum *Pancreatici* concurrit.

Infallibiliter vis quæpiam in subjecto latens concludi potest, quæ per effectus subindè se detegit, & ex immoderatione sensibilis adest. inveniuntur intestini à Pyloro proximi interiora turgidula. continuatim potius, quam intervallatim pro Chyli præsentiâ *Bilis* & *Succus Pancreaticus* impluunt. Semper Ductui duplici suus superfluit rivus, suus fons manat.

Quomodò ergo Liquorum horum & *Salivæ* confusio sine virium aliquali explicatu obtingeret? Cur *alcali* in *Bile* lixivum moliretur congressum & copulam cum *acido* absque commotione? Quin igitur absurdum non est, abhinc profluere humorem singularem. nec crustosum Intestinorum peristroma huic negabit ingressum, perdurante motu peristaltico, osculisque venarum inhiantibus & irradicantibus. Velut Chyli

Chyli pars purior, sic & hæc coadunita *Succulentia* candidam ingredi viam adusque Cor potest.

Helmontius vasorum & ductuum ignorantiâ aberravit in hujus rei explicatu. Condonandum illi, quæ de *Ente* suo *anonymo* vel *Scoriâ* Lotium imbuente deproperat. Nobis nunc oculatioribus esse licet. Lacteæ & Lymphaticæ venæ nostram augmentant cognitionem.

Cordi inferri posse hunc *Triumfluem* humorem cum ipsâmet Lymphâ, quoniam ad centrum tendunt omnia Lymphatica, certò certius agnoscimus. *Glandulæ*, sive continuam substantiam, sive contiguos globulos habeant, radicatim protrudunt ductus vel peculiares, vel Lymphaticos, quibus diversis quidem larvis commutatum laticem, semper tamen *acidi* feracem elargiuntur.

Sic ergò Lympham sibi associat Chylus, associat triumfluus ille humor, cumque eâ genuino imbutâ *acido* invadunt Cor. Nec Chylus unquam syncerus adeò manat, nec trina hæc Succulentia sola vadit.

Mas-

Maſſam autem Sanguineam inde naturalem concreſcendi vim haurire nil involvit abſurdi.

Ut quælibet ſtabilitas ab *acido*, dum ſibi univit *alcali*, ſic etiam *Cruoris*. *Ovum* reſpice, illiuſque liquidi genium: *Acidum* quodvis infuſum, illud coagulat: argumento id eſt, coagulationem ſpontaneam ab ingenito ejus proficiſci *acido*. Et quas non ſubit mutationes ab *acido* ipſe *Sanguis*, dein *Serum*, *Lympha*, & quælibet *Succulentia*? Edocent hæc genuinum naturæ proceſſum. Succedit *Gelatina* poſt evaporationem aquoſitatis in *Sero*, *Lymphâque*.

Sanguis niſi continuo vitali charactere, ac ſpirituum volatilium alcalicorum ſubſidio, & ſupereminentiâ efficeretur fluidus, in coagulum ſui tenderet, quinimò grumeſcerat. Velut ſic extravenatus tranſmigrat in conſiſtentiam per interitum Spirituum, vitæque receſſum. *Sp. alcali* ſupereminentes in vaſis denſiorem prohibent compaginem, nec *acidis* ſinunt virium ſuarum expromptionem. In ipſo cada-

vere *Cruor* eſt hinc vaſis adhuc fluidus, quod ſuccumbant *acidi. Spiritus*. his autem prævalentibus diverſæ texturæ corpus efficitur. Nec abſque his grumus ullus, nec coagulatio ulla: Quin *Sanguis* non ſubſiſteret, aut in fibras ullas coaleſcere poſſet.

Acidum hoc autem, vel ejuſdem Spiritus multiplices in *Cruoris* maſſam non ſolus derivat *Chylus*, nec ſola inſinuat *Lympha*, ſed & *Triumfluus* dictus *humor*. Servat enim genuinum *Succi Pancreatici* & Salivalis genium, à quibus potiſſimùm derivatus. his ſuccubuit *alcali* lixivum bilioſum, jam quoque in volatilitatem traductum.

Hinc Liquor Ductui Thoracico exemptus ſæpè acidiuſculus deprehenſus. Quaſi dilutiorem Citri ſuccum vidit & ſenſit *Ol. Borrichius*, *ut in Epiſtol. ad Bartholinum* ſcribit. Nec ad ſolam hoc ſpectat *Lympham*, quia nunquam fermè in Ductibus Thoracicis ſola, aut mera eſt. Sin aliquandò adſit temperatior *Succulentia*, ſubeſſe nihilominus *acidum* poteſt, at temperatum.

PALÆ-

PALÆPHAT.

Non in Triumfluo humore, nec in ullo alio Acidum agnoſcit ſufficiens ad ſtabilimentum naturale Sanguinis.

Commentus es *Triumfluum humorem*, ut inauditum hactenus fœtum, nunc *acidum* illi aſſignas. Coagulans illud *Sanguini*, *Sero*, *Lymphæ*, aliiſque donas Succis, quibus natura & ſenſus omninò negant. Inanes has machinas omnes fruſtrà ſollicitas. Tempus concipi poteſt, quo *Chylus* ab Inteſtino tenui abeſt; tum depluere Salivale quid, tum implucre *Bilis* modicum, & ſuccedere portio *Succi Pancreatici* poteſt.

Sed tantillum id omne condeſcendere in *Efferveſcentiam* ſingularem quis credat? Mox ſanè illud per motum inteſtini periſtalticum auferetur. Nec *acidum* in Salivâ potentius eſt, quam *Succo Pancreatico*: utrobique inſenſile, ac imperveſtigabile ſecundum naturam.

Venæ omnes, fateor, ſe promiſcuè ingurgitant eo liquore, qui modo adit eorum oſcula. Sed variant loca diſtributoria, nec traductioni Chyli inſerviunt ſolæ Lacteæ.

Uſum

Uſum his faciunt ambiguum meſentericæ communes. Vergunt iſthuc clarè plurima documenta. Quin Experimento oculari jam idem extra omne dubium ponit *Excellentiſſimus Anatomicorum Johannes van Horne.*

Experimenta *Louwerii* non ſunt contraria, quibus ob ductus Chyliferos perruptos omnem Chylum in thoracem effundi contendit. Pars Chyli effunditur: reliqua ſubit ſanguineas. interit Canis ob martyrium, non inediam totalem. Chylus nullus in Sanguine comparet, quod in Hepate immutatus. Regurgitat à compreſſis ductibus Chylus aliqualis.

Sin ergò etiam per Sanguineas Chyli pars Sanguine diluta tranatat ad Hepar, certè & Triumflui humoris portio quæpiam deberet. at quam irrita id fecerit tua poſtulata, & quam funeſtum fuerit tuis commentis?

Eâdem abſurditate, quâ hunc fabricas humorem, Cruori quoque ſtabilimentum naturale ab *acido* trahis. Nimirum Minerale tibi imaginaris *acidum*, quale in Spiritibus

per violentiam ignis productis. Nec discrepantes causæ rerum vitâ carentium in artificiali quopiam vasculo à corpori animato contingentibus discreti tibi sunt. Dispar reverà est agendi ratio, dispar agentium copula. Ab *acido* in animali tam naturaliter exiguo nulla similis, vel analogica vis potest emergere. Quin tanta rerum discrepantium adest congeries, ut vim hanc tantillam absorberet & annihilaret. Naturæ cursum nunc indagamus saltem. Nihil ergò hûc *Spiritus acidus* mineralis, quod calentem præcipitet sanguinem: nihil, quod infusus idem venis eum stabiliat.

Amussis naturæ non est *Chymia.* Analogici effectus nil stabile inferunt. Concipi nequit quicquam tam debile, fractum, contemperatum è minerali, quod animali competat. *Salsa*, *amara*, *acida*, de quibus *Hippocrates*, nisi præter naturam à benignioribus secernantur, nullis naturalibus se produnt effectibus. Quid effecerit illud, quod sub miscellâ adversantium latitat ad insensibilitatem usque? Quod stabilimentum

tum ergò Sanguini ab *Acido* ſuſpe-ctas, nihil eſt. Fictitius ille tuus humor illud non conferet omninò, quia in eo per *efferveſcentiam acidum* ceciderit neceſſum eſt.

Sponte coit *Sanguis* extravenatus per fibroſitatem ſuam glutinoſam, quum exceſſus Spirituum vitalium obtingit. *Acido* iſthûc cooperante non opus eſt. *Grumi* & Caſeatio non effectus *acidi* ſolius, ſed etiam ignitionis, per quam humidum omne elicitur.

NEOCHM.

Chylum per Lacteas thoracis, & Sanguineas Portæ vias invadere Cor: heîc alcali bilioſo rurſus ſuffundi, illic acido Lymphatico: utrobique Succum nutrititium contineri, heîc Sanguineum pro partibus Sanguineis; illic Seroſum pro ſpermaticis aſſerit.

Miſerum eſt, quod in eundem ſemper impingis ſcopulum! Dares manus, modò temperatos, repreſſos, ſubjugatos *Pugiles* ab exaltatis, activis, & prædominantibus diſcernere velles, aut poſſes. Adeò namque juvat dignoſcere

Quod variet Natura vices, quod mobilis ordo.

Particularum in Succis omnibus activarum fit. *Hippocrates* ipse syncerum & impermixtum in vituperio ponit, quod naturalis deficit crasis. Sed Sanguini, illiusque stabilimento *acido* suæ redibunt forsan vices.

Chyli vias distinctas nunc projicis, tanquam meis hypothesibus valdè funestas. Itane autem! Quin distincto illis transitu nihil accommodatius. Exsorbent Lacteæ Chylum, sed *acidi* maximè feracem. Exsorbent Sanguineæ quoque, sed *alcali* volatilizato imprægnatum. Non quod hinc & illinc absit omninò alteruter *Pugilum*, sed quod minimum unius hâc, alterius illâ vadat viâ. Et reverà Portæ rami nec minores, nec pauciores Intestinis in promptu: quin lacteæ aliquæ terminatæ in Intestinum sunt propagines majorum Sanguinearum.

Quid ergò? Quur alcali volatile Spiritibus volatilibus instaurandis suffenum non in venas deproperaret Sanguineas? *Alcali*, quod eorundem

rundem in Sanguine delitescentium consortium tantopere affectat? Sin venas has ventus non subit inflatus, ab osculis id est tum subsidentibus: liquor irreptat commodius & has, & ipsasmet lacteas; quod non directè, sed obliquè omnes Intestinum subeant. Frustrà per Spiritum vini atramento tinctum tentavit aditum *Lowerius*.

Quid iterum? *Acidum* Chylo socium quur non involveretur Lacteis? *Acidum* quod *Lymphæ* consortium paulò plenius spectat? Sin defatiscit tenuior hinc Chyli portio mox à morte animalis, disparet & *acidi* subjectum. Candori certè familiare illud est. Et Chylus Sanguini innatans, quandoque visendus; & Serum, & Lac uberibus expressum, in gelatinam transeunt communiter igni admota. Subterfusa Sanguinis rubedo albedinem post tollit. Canis vivus consutus, & derelictus sub angore variat liquores, variat transitus, variat de vasis in vasa *Pugiles*. Et *acidum*, exhaustâ spirituum alcalium volatilitate, vitreum ingerit splendorem, cogit, & coagulat.

Certè ſubit Lacteas, ſubit & Sanguineas venas *Chylus.* etiam utrâque fertur via *Succus Nutritius*, tam Sero, quam Sanguini familiaris, tam huic, quam illi ſubditus. Sub illius corpore alendis partibus Spermaticis deſtinatus, ſub hujus umbra Sanguineis. Illinc per Ductus thoracicos in Truncum deſcendentem Sanguini tranſfuſus, hinc per Hepatis regionem in Truncum cavæ aſcendentis eidem commiſſus. Duplici nimirum via *Chylus* Cordi invehitur: ſub duplici vehiculo Sero, & Sanguine *Succus alibilis* duplex in duplicatam partium diſcrepantiam deſtinatur. Nec abſque *Pugilum* duorum duplici ſubſidio vel alimentum iſtiuſmodi effici, vel vita ipſa ſuſtentari poteſt.

Fermentationi Chyliferæ in Ventriculo & *alcali*, & *acidum* ſubſervierant. his jam præfractis, Chyloſæque impuritati ſecernendæ inſufficientibus ſuccurrerant, velut duo novi Athletæ, *Bilis*, & *Succus Pancreaticus.* Fortior hæc *Pugilum* copula proceſſum *efferveſcendi* ſingularem ibi compleverat. Abinde Chylus

lus purior devolutus in Lacteas, Sanguineasque venas nondum aptum nutrimento partium Succum Nutrititium suppeditare potest. Novam commutationem subeat, necessum est, novamque huic subsidiariam opem efflagitat.

Summittuntur ergò rursus *Pugiles* alii, huic operi deputati, tanquam novæ manus, recentesque manipuli. Chylo scilicet per portæ ramos in Hepar & Cavam deportato commiscetur nova *bilis*: eidem Lacteâ viâ progresso affluit *Lympha*. ab illâ *alcalicum* denuò subsidium sat suffenum adest: ab hac *acidum*. Sine hoc duplici adminiculo Corde transeundo Sanguini *Pugiles* deficerent.

Lympham in via Chylo subterfundi Lactea, ab omni dubio remotum est. Subacidam eam testimonia satis luculenta præbent. Insipidam licet Gustus evincat, nihil obstat. Gratam huic aciditatem *Pecquettus*, *Agricola*, *Koolhans*, aliique jam olim asseruêre. nec repugnat evidentiæ ullius documentum. *Gelatinæ*, post evaporationem aquosita-

tis ſubnata eam deſignat. Quod aëri expoſita denſam vitri modò infrigidati ſpeciem induat, iſthuc vergit. exortus illius, quem debet Glandulis, haud abſonus. *Acidum* enim hæ congregant, illique copulant.

Quin Spirituum animalium derelictam volatilem aquoſitatem illi commiſcent, undè repreſſus manet Sapor. Coërcetur enim *acidi* vigor dulcedine volatili, & aquosâ exundante. velut vini, Saliſque Spiritibus novit exſuſcitare per multa cohobia dulcaciditatem *Chymia*. Intumeſcentia verò *Glandularum* ſatis evincit *acidum* in liquore deliteſcens, ubi illud excedit. Per Gravedinem qui exſtillat liquor præter naturam etiam hûc vergit; nec impedit, ex præternaturali caſu curſum Naturæ colligere. Ita quoque Concreſcentiæ ſingulares ab extravaſatâ *Lymphâ* & craſſefactâ dependentes ut luſum Anatomicis præbent, ſic imaginem *Acidi* ſufficientem ingerunt. Quinimò ſubitaneus *Adeps* non eſt alienæ originis. Quod ergò *Lympha* in ſubſidium pugilicum tam Chylo, quam Sanguini ſuffun-

suffundatur, suis ita stabile fundamentis est.

Verum alter substitutus *Hercules*, nimirum *Bilis*, in Hepar, & Sanguinem, & abhinc Cor transmigrans non minus considerabilis *Fellis* laboratorium illius est Vesicula. Sanguis hanc nutriturus per arterias advehitur congeneus. Menbranis ille separabilis à felleo juncto liquamine in merum *fel* commutatur. Inde Vesicula turget & fundo suo amplo per angustiorem Cervicem eructat *Bilem*. E bifurcato ductu unus subit *Hepar*, per quam *Bilis* Chylo & Sanguini à portæ ramis propagatis advectis admiscetur.

Sustinet, continetque firmum Hepatis parenchyma ramificationes Venarum omnium. copulat per minima liquores; fovet suo incubatu. *Alcali* biliosum, ut nobilissimum elixir, subterfunditur. *Chylus* jam Sanguineo imbutus purpurisso, prævia hac digestione, ac dispositiva imbuitione ad vitalem supplendam necessitatem vadit. Jacitur hac copula fundamentum pòst perficiendum paulatim.

Tranſmiſſum ergò *alcali* bilioſum in *Hepar*, Sanguinem inibi imbuit à *Liene* redeuntem, ac jam volatilitate perfectiori exaltatum, adeoque *acido* penitus refracto, ac remiſſo conditum. imbuit etiam Chylum recentem mixtura ſua balſamicâ, ac oleoſa. Ut imbuere poſſit, in ſinu, gremioque Hepatis recondita eſt *veſicula*, neutiquam velut importuna ſarcina, ſed promicondus perpetuus. Sic ab *alcali* renovatus Chylus, & Sanguis à corruptione cuſtoditus in Cor vadunt.

Sic quoque altera illa via ab *acido* Lymphatico ſtipatus Chylus ſolus intrat. Sic adſunt, & ſiſtuntur Cordis Clauſtris *Pugiles*, quorum ſuggeſtu vita, omniſque vitalis conditio procedit. Demonſtrati nunc ergo ſunt, quorum effectus tam illuſtres.

PALÆPHAT.

Promiſcuum Chyli influxum eſſe: Nullum in Lymphâ acidum: Bilem in Hepar non infundi aſſerit.

Tam appoſitè ſanè demonſtrati, ut demirer Cerebri tui ſubtilitatem. Sed unde *alcali* vadere Sanguineâ, & *aci-*

& *acidum* vadere lactea viâ expiscaveris, hariolari nequeo. Variant loca quidem distributoria: Chyli transsumptio jam per has, jam per illas venas obtingit promiscui, ambiguus quidem ejus in cursus, neutiquam electivus est. Quicquid ex resoluto eo, intestinis agitantibus, tubulos subit lacteos vel sanguineos promiscuè, velut liquor omnis vasorum spiris solet, se ingerit. Ergo ne *alcali* tuum sibi melius fore sanguinea, & *acidum* lactea subolfaciunt, quod hîc à *Lymphâ*, illic à *bile* augmentum spectent? Benè nunc ergo *Pugilibus* tuis tam activis, ac prudentibus! benè quoque non minus *Succo* nutrititio, qui in Sero, & Sanguine pro Spermaticis, & Sanguineis Partibus alendis duplicatus duplici vehitur viâ, duplicique medio. Sed istud saltem digito attingere tibi satis visum est.

Paulo pressius urges subsidiarios *Pugiles* sub *Lymphâ* ac *Bile* comprehensos. Hactenus cecidere saltem folia, nunc cadunt arbores. Quid enim? *Lympham* semper *acidam* con-

 cludis,

cludis, & *Bilem* velut balſamum naturæ gratum in Hepar; & Sanguinem è veſicula effuſam. Quando autem unquam notabilem præbuit acorem *Lympha?* Unico vel altero exemplo, ubi forſan deceptio ſenſuum, aut ſtatus valetudinarius, quis commoveretur? Nec *acidi* inde neceſſitas, quod evaporante per ignem liquore, craſſamentum quodpiam ſubſiſtat. Et *Glandularum* præternaturalis ſtatus quid exegerit momenti? Certe ſub ſaniori ſtatu *acidum* omne *Lymphæ* deſit; adeoque hic Athleta ſuccedaneus fruſtrà allegatus eſt.

Amariſſimus autem Naturæ balſamus, *Bilis* in Sanguinem & Hepar effuſa, non verò velut excrementum abindè in Veſiculam ſecretum, quam lepidum phantaſma? Quum in Hepatis parenchymate nulla unquam amarities ſit deprehenſibilis, nec in ipſo Sanguine, cur ſuffuſam ſubindè *Bilem* è Veſiculâ aſſeris? Poſſitne autem illa adeò occultari, aut à balſamo abſorberi oleoſo? Quur ergò vel unica guttula Fellis à venæſectione calenti Sanguini aſperſa

ſperſa eam mox amaram reddit? Cur non ſubſequitur Color hepatis perpetuum illapſum?

Nequidem *Hepaticus meatus bilarius* hunc curſum *bilis* monſtrat. Structura ejus effuſionem in ductum communem Cholydochum docet. Animalibus folliculo carentibus, ut Equis, Cervis, quibus neceſſum eſt *Bilis* ſine diverticulo rectà vadat in inteſtinum ab Hepate, quid accidit? Vidit præterea *Nedham* Meatum cyſticum non folliculo, ſed peculiari ductu inſertum Inteſtino, unde ex utrolibet canali *Bilis* verſus Duodenum neceſſariò. Angulus quoque ſæpiſſimè acutus inter Lobum Hepaticum & Ductum communem excludit omnem remeatum.

Quin experimento alio evinci poteſt dogmatis hujus abſurditas. Meatus ille hepaticus abſciſſus in Cane vivente Veſiculam verſus, ac adaptatus Vitro oblongo, eâ parte, quâ ab Hepate tendit, impluvium reddere biliosum ex Hepate deprehenditur.

Liquor mediante Siphone infuſus ſin in Hepar tendit, non arguis natura-

turalem *bilis* cursum, sed absentiam valvulæ. Etiam aliis vasculis per violentiam contrarius inferri motus potest, modò valvulæ absint. Nec observatus liquor per Siphonem immissus in ductum Hepaticum quod tenderit in portæ ramos, adeoque venam umbilicalem, quicquam infert. Connexio enim ramulorum portæ, & bilarii ductus quorundam id effecerit fortè. aliàs utplurimum injectus liquor ex gibbâ Hepatis exit parte: nec enim observatum universale est.

Nihil ergò ingeniosa illa conjectura de *Bilis* cum Sanguine & Chylo mistura. Vesiculæ debetur *Bilis* ut proprio continenti. Porus bilarius *bilem* illi parte unâ offert, parte alterâ aufert. Nec color, nec amarities aliud suadent. Quod sub icteri fœditate accidit, oculis subjacet: febrile inde Seminarium deducere ex trivio est. Quarè fellis vacuitati longævitas olim asscripta, ut proindè vesicula denegata fuerit Cervis, Damisque.

Quin igitur *Hepati* suum ἐπίβαλλον μέγα in Chylum, & Sanguinem linqua-

linquamus. Vacillet & excludatur potius subsidiarius ille tuus *Pugil.* nec enim *Bilis*, nec ille, sin bili foret genuinus, subministratur istum in modum. Quid? imaginario *Lymphæ acido* accedat *alcali* in *bile* imaginarium, Subsidiariæ inde omnes opes erunt imaginariæ.

NEOCHM.

Transitum Chyli diversi duplicem confirmat Experimento Lowerii. Bilis effusionem in hepar & Sanguinem protegit. Effervescentiam in Corde pugilicam vitæ, motus, calorisque arguit solam causam.

Imaginarium judicas, cujus certitudinem clausis aspicis oculis. Urges promiscuam Chyli traductionem viis discrepantibus: candicantibus, & rubentibus; transparentibus, & obfuscatis; disparentibus, & persistentibus. Quid impedit, quo minus tenuitatis, & admistionis alienæ inditia admittas?

Utrâque quidem viâ *Succus* nutritius abit, sed dispar ex dispari alimento, sub dispari vehiculo, per disparem viam. Unus ex parte Chyli in scopum naturæ sub Sero transiturus:

ſiturus: alter ex alterâ in Sanguinis formam commutandus. ad alimoniam corporis ſufficit neuter ſolus. Hinc ſub Sanguinis copia confectio Chyli quotidiana maximè neceſſaria, & inedia intolerabilis.

Demonſtrationi hujus *Experimentum Lowerii* egregiè ſubſervit. Perforato dextro thoracis latere, ille digitis lacerat propè Diaphragma in Cane vivente *Receptaculum.* Similiter ſiniſtro latere paulò infra ſubclavias, ubi ſuprà Oeſophagum ſerpit, dirumpit Ductum thoracicum. Facto utroque Canem probè ſaginatum ſemper, eâ, quâ vulneratus, parte, Chylum effudiſſe deprehendit, & utut probè cibatum intra triduum tamen inedia confici. Apertis quoque venis Sanguis craſſior, feroque deſtitutus apparuit, nec Chyli aliundè tranſmiſſi admiſtionem ulla parte faſſus eſt.

Fruſtrà verò iſthôc experimento convincere conatur, Chylum omnem in thoracem vulneratam effuſum. pars ejus illinc tranſire ſolita effundi ſaltem pôtuit, altera verò non deſtituit Sanguinem, prout

ut tu ipsemet modò astruxisti. Inedia haudquaquam inde totalis, sed tantum pro Spermaticis defectus consequutus, sin à solis vulneribus intra triduum non fuerit confectus Canis.

Verum magis operæ fuerit advertere Sanguinis in apertis Venis crassitiem, Serique defectum. hæc sanè consequia omninò necessaria fuêre. *Succus* Spermaticorum *nutritiius* sub *Sero* defecit, quia per Lacteas non suffectus fuit: hinc etiam crassities ipsius Sanguinis augmentum cepit. Nec fassus est Chyli admistionem ullam Sanguis, quod qui per Mesaraicas communes in Hepar transierat, ita Sanguini assimuletur, ut habitum, coloremque neget suum. Transiens igitur Chylus in Sanguineas inde neutiquam excluditur. *Succum* ille *alibilem* confert ex mistura Sanguinis nobilitandum, quin repurgandum per alcalicam volatilitatem. Dum adit Hepar, reverâ passi rationem habet.

Sed tu *Bilem* inibi effusam è Vesiculâ non admittis. Quid? Eamne ergò

ergò Sanguini nuptam se prodere necessariò debere ais? aut segregandam ibi à Sanguine minus amaritie aut flavedine se prodituram? Certè sin retrimentum fuerit, quur non à Corde mox ad Hepar defertur Sanguis ut eâdem ibi liberetur protinus? Numnam ergò per ambagiosas portæ vias, aut arteriolas quaspiam fuerat introducendus? Rejectaneum excrementum alibi melius Natura produxisset, nec recondidisset Vesiculam in hepatis cavo, quasi illius nucleum. Quin omnia animalia, Pisces ex aquâ, pecora è gramine illud non semper conficerent. Quæ sequuntur illius excessum tragædiæ, quæ paupertatem molestiæ, debitum illius moderamen secundum naturam non excludunt.

Sed de *Hepatico meatu bilario* profers argumenta illius effusioni contraria, prout censes. de Structurâ quod affers, valdè stramineum est. Animalia, ut Equos, Cervos, quæ Vesicula carere dicis, certè analogum illius possident. Sin ex utrolibet canali *Bilis* versus Duodenum tendat,

tendat, è folliculo alius haud dubiè efferri debuit, per quem ego bilem effluere, possum sustinere. Nec ullus angulus tam acutus, ut remeatum excluserit, nec simul commeatum omnem.

Præcipuum verò, cui instas, est, quod meatus ille circa Vesiculam abscissus; vitroque inditus, ex Hepate reddidisse biliosum quid, fuerit deprehensus. Numnam autem regurgitans illa biliositas è Jecore, non fuerat in illud prius submissa? præsertim quum relapsui nulla obstet Valvula. Reverà nec mera, nec copiosa bilis fuerit, nisi è cystide prius per alias vias subministrata. Amarities autem ac flavedo quam facilè alteri Succulentiæ communicantur?

Transitus omnes apertos monstrat liquor per Siphonem adactus tam facilè usque ad ipsum Cor, & ultrà. Unde autem tum innotuit contrarium per violentiam motum fieri? Quocircà quum in truncum Portæ transiri possit, nec huic juxtà circulandi leges aliquid educi, debebitur biliosum influvium ibidem

dem Chylo cum Sanguine influo.

De *Lymphâ* quæ projicis, non tango quidem : plus habent ingenii, quam probabilitatis.

Stant ſubminiſtrati ergò de novo hinc & inde *Pugiles.* Non cedunt levis armaturæ militibus tuis. vadunt reverà ad Cordis clauſtra. Subit *Acidum* ſub *Lymphâ*, tenuique Chylo : ſubit *alcali* eum ſubterfuſa Sanguini & Chylo *Bile.* confluxus omnium liquorum, confluxum *Pugilum* infert. Virium nihil hactenus exſeruêre, quod ſui nondum juris, nec debitè copulati.

Sub tam arctis circa Cor clauſtris, rapide & properanter quæ ſubintrarant, in volucris ſe conantur deliberare heterogeneis, & ſocietatem ſolito preſſius affectant. Hinc cum ſpumoſa *Efferveſcentiâ* exſiliunt, omnibus particulis coadjunctis, ſubagitatis, ac commotis. Per attritum hunc *Calor*, & fervor : ab hac commotione Cordis & Sanguinis motus.

Nec *focum*, nec *ignem* heic inſitum, nec *Flammulam* ullam vitalem comminiſcendi neceſſitas eſt.

Vix

Vix *fermentativis reliquiis* in Sinubus Cordis delitescentibus opus habent *Pugiles* noviter adpellentes, quibus rarefacta Cruoris & in spumam traducta massa, actum & motum adipiscantur. Sufficit illis exultus proprius: sufficit turgescentia ab inclinatione eorum in sui unionem.

Orgasmum hunc, quem quibuslibet arcte conclusis locis exercent, incipiunt, ubi in *Cavâ* concurrunt. Eæ *Cavæ* pars, ubi inferior illius truncus cum superiori unitur, quæ Cordi proxima, initium commotionis, & finem exhibet. Perspicacissimi *Anatomicorum* id hactenus contestati fuêre, causâ verâ remanente sub tenebris. Ipsamet experientia testimonium oculare nunquam negat. Salvo animali, isthoc in angulo sibi committuntur primò *Pugiles*, eodem moriente, commissuram hanc ultimò affectare deprehenduntur. Hinc tunicam *Cavæ* contrahunt postremo vitæ momento, quum jam deficiunt *auriculæ*, deficiunt *Cordi*. Hoc in loco inceptant ergò concursum, inceptant Orgasmum, & motum.

Proxi-

Proximè ad dextram *Cordis auriculam* devolvuntur. Demum ad Ventriculum dextrum, abhinc in Pulmonum vesiculas, Sinistram auriculam, & Ventriculum. Particularum harum textura, inæqualitas, fibrositasque coarctans motui & commotioni adjutamento sunt. Perpetuant interim *Pugiles* motum, perpetuant calorem, quod perpetuum eorum secessum perpetua excipiat substitutio. Activitas circa Cor prior & major est: in Arterias dum translati, frequenti tamen etiam concussione, & liquoris vibratione, sicque pro creatu æstu sese urgent.

Nec dextro Cordis sinu mage ac sinistro, quod in hôc deliberati compedibus, magéque exaltati sint, ibi incepto saltem orgasmo satis efficaces. Efficacissima commotio in toto perdurat Corde, quia tanta & tam multiplex ibidem obtingit coarctatio. Incipit interim, ubi primus *Pugilum* confluxus. Non percipit ociique *Alcali* suum compar *Acidum*, quin affectet unionem. Affectare nequit, sine particularum omnium concussione sub tam angu-

anguftis locis. Motus continentium partium confequus eft congreffum contentorum.

Nec *Cor* aliud effe videtur, quam Mola aquatilis, & appenfa vafis trochlea. Frequenti quippe faltem infervit combinationi *Pugilum* per duplices auriculas & ventriculos fuos cum maffâ Sanguinis tranfeuntium. Horum faltem fubfervit conamini repetitis fibrarum fuarum protrufionibus. His in arterias majori conamine ac molimine urgendis, fimulque *Succis alibilibus* in alimentum partium difpenfandis inftrumentum conditum, & erectum eft.

PALÆPHAT.

Effervefcentiam in Corde à Pugilum confluxu agnofcit nullam. Flammulam vitalem Cordi infitam, quâ Sanguis imbuatur, & Motum contractionis intrinfecum ad perpetuandam vitam afferit.

Jam ergò *Cordi* vita ac motus à *Pugilibus* tuis? Quis tam bliteus, qui inanibus hifce poftulatis affurrexerit? Appulfum *bilis* in Hepar & *Cor*, & *Lymphæ* aciditatem jamdudum abjeci.

abjeci. Quid fulcris ergò his inniteris? Excipitur quidem Chylus hinc in Hepate Sanguini quadantenus assimilatus, illinc *Lymphæ* neutiquam acidæ mixtus primum Cava, dein auricula dextra, demum Cordis ventriculo, & sic deinceps.

Verum liquoribus hisce vel *alcali*, vel *acidum* sufficiens esse suscitandæ *Effervescentiæ*, velut analogia Mineralium infert, id probasse operæ fuerit. Exempta corpore *Bilis* mera, exempta *Lympha* nullam oculis subdunt *Effervescentiam* sub quocumque Caloris moderamine juncta. quomodo ergò possent tam sub multiplici mixtura vires cujuslibet enervante? Sanguinea massa *Cor* subintrans tam variorum assequitur miscellam, ut nuspiam vel *alcali*, vel *acidum*, sin adessent, emergere possent. mitis est liquor, benignus, leniter fluens, cum nullo luctæ inditio.

Nihil hûc angustia loci in Cava Cordi proxima, vel auriculis, quam allegas. Carneis ista Cavæ pars fibris constat, commoveturque cum auricula Cordis primo, quod sola hac

hac via universus insorberi debeat Sanguis. Motui *Cordis* primario hæ motitationes assistunt: nec ἄλογον statutum de *Pugilibus* tuum in Sanguine inde fulcitur. Sin sociarentur in Cava Cordi proxima, actutum ibi se conficerent, nec devolverentur integri in Cordis ventriculos. defervescere solet, quod de vase in vas transfunditur. Retenti atomi ignei, ubi à vinculo, vel nexu heterogeneorum absoluti, ut mox prosiliunt in *Effervescentiam*, sic non ita diu confecti requiescunt.

Quid *Pugiles* velut Cadmæos fratres obtrudis, qui obdurent ab auriculis ad ventriculos, & ab uno Ventriculo ad alium, mediante Pulmone? labascerent citius, ac desisterent, nec ulla arteriis ab iis induci posset mobilitas. in Sinistro quoque Ventriculo major foret *effervescentia* necessaria, quod explosio inde Sanguinis in universum. Nova ergò, & major in sinistro *Effervescentia* causam secludit à Sanguine ingresso. Quin etiam *acidæ* & *alcalicæ* particulæ non pertransiissent tam diversa angusta loca disgrega-

tæ, aut disjunctæ: præsertim quum mutuum incursum consectentur. Major quoque effectus à recenti foret exspectandus copulâ: commissura agentium prior foret efficacior. adde perpetuantem Calorem; adde ordinatum motum æqualem, & regularem; adde alia multa, quibus non solam cavitatem passivam *Corde* præberi satis evincitur.

Fabrica illius longè etiam aliud contestatur. Quis ausit merum, & vulgarem saltem musculum? Viscus, cui vitale & cruentum in omni animali imperium competit? Viscus, quo vivo fonte vividus omnis effluit Sanguis? Viscus, quo solo foco genuino *Ignis* naturæ succensus, quo solo *flammula vitæ* perpetim viget? in quo stata Sanguinis accensio, ad quod, post deflagrationem, periodicus ejus refluxus? in quod Chylus omnis transsumitur, & æstuanti flammæ subjectus elaboratur? Cujus nisi sortiatur ignitum fomitem, universum corpus defatiscit.

Biolychnium profectò in *Corde* solo erectum est. *Flammula* illa, qualis

lis ex accenſo vini Spiritu, actu ibidem flagrat. Licet nec vivis, nec in demortuis poſſit oculis percipi, tactu tamen ejus perſeverantia deprehenditur in Corde. Reliquis autem omnibus membris ſaltem influxu ſubnaſcitur, & effluxu deperit. Inibi firmo inhæret tanquam principio; inibi toto vitæ tempore durabilis. perſeverantia vitæ ac caloris illi implantata eſt, ex illo evaneſcit ultimò.

Flammula huic inſita Sanguinem rarefacit, parietibus expanſis *Cordis.* Succurrunt *Spiritus animales* quidem contractioni, coarctationi, & expulſioni, at neutiquam ſoli efficaciam ſuggerunt. Nec exiles nervuli machinam hanc exagitare queunt; plures enim, majoreſque Viſceribus donati immobilibus. Fibræ ad contrahendum conſtantes Cordi, velut perpetuo mobili propriæ ſunt. His vis inſita influxum quidem Sanguinis & Spirituum animalium aucupatur, & ab iis ad commovendum habilior eſt.

Supprimi vigorem *Cordi* à defectu Sanguinis non nego. Spirituum ec-

 clypſi

clypſi eidem potentiam adimi locomotivam *Willifius* docuit experimento in Cane facto. Monſtravit Canis circa jugulum trunco paris vagi ligato, poſtquam diu moribundus jacuerat, apertus Sanguinem coagulatum in vaſis, & grumefactum, quia prohibito *Spirituum animalium* influxu, ſolitus *Cordi* motus defecerat. Verum iſthôc non evincitur Vitalitas, Cordiſque mobilitas in evanidis adeò, ſubjectiſque mobilibus radicata. Nec eatenus *Cor* ſaltem vitam, motumque participat, quatenus Sanguine, & Spiritibus alluitur.

Originalis eſt *Cordi* vita, originalis vis motrix, non ab influentibus derivata. Pulſat enim & agitatur *Cor* ante nervos, venas, eorumque contenta. *Harvæanæ* Obſervationes id indubitatò docent. Nec animi paſſiones, aut alterationes variæ vel Sanguinem ſpectantes, vel Spiritus aliud evincunt, quam primariæ cauſæ alias eſſe ſubordinatas.

Maneat ergo illibatus *Cordi* inſitus *ignis* naturalis. maneat impulſor & exactor innatus inconcuſſus. *Pugiles*

giles quocumque argumenti genere expoliti, inanes ſunt. fruſtrà hæc conchylia turdis permiſces. Vis enthea, a Protoplaſte facta in ordinatam motuum & vitæ continuationem, Cordique inlocata per mille generationes, tam ſalſis vel inſulſis non eget principiis, aut incitabulis.

NEOCHM.

Flammulam in Corde vitalem nullam agnoſcit. Principium vitæ ac motus à commiſtione Pugilum deducit per Sanguinem factâ.

Jam *Flammulæ* aſſurgis in *Corde* planè ſuppoſititiæ, & Reginam prati venditas, quæ vix Urtica eſt. Mirum ni & gubernatorem in triremi, & rectorem in curru, & ducem in exercitu, & præcentorem in Choro hûc analogicâ quapiam elegantiâ trahas.

Quaſi non ſuffecerint *Pugiles*, qui revera *Cor* ſubintrant. inutilis ſanè ac immobilis hæc ſarcina ſine his. Ponderibus his ſolis automatum motum ſuum debet. impulſu horum machina movetur. influxu horum δύναμις ποιητικὴ illi exſurgit.

Quid *ignem*, quid *flammulam* in-

ſitam allegas? Quânam reſideret *Cordis* parte? auriculiſne membranaceis, aut carne viliſſimâ, aut minutis Septi tranſverſi foraminibus, aut exilibus vaſis? Quis eam unquam vidit? unde actuale ſuccendiculum procederet? Certè Poëticus & commentitius ille *ignis* nullis adhucdum experimentis evictus ad oculum, nullis punctis probabilibus huic ſcenæ aptificatus.

Quod Calor in ventriculis major, ac *Cordis* corpore, id à contentis eum eſſe arguit. Tam generoſis, tam activis ſcilicet Maſſa Sanguinea gaudet *Pugilibus*, ut exſtructi in Corde foculi nulla indigentia: his vitæ omnis ratio benè exprimitur. Quando ſcilicet cum Sanguine aſcendente *Bilis*, cum deſcendente *Lympha*, hinc *acidum*, illinc *alcali* *Cor* ſubeunt, ſufficiunt omnino. Confluentibus facillima ab alienis compedibus libertas, & eruptio obtingit: confligentibus blanda accenſio conſequa, ſenſibiliſque *Efferveſcentia*. Multiplex confuſio, præpropera *Pugilum* ſubſtitutio de ventriculo in ventriculum conti-

continuationem sufficientem infert.

Quin ideo Massa Sanguinea comminuenda & confringenda transditur *Pulmonibus*, ut major abindè prognascatur libertas pugilicis particulis. Hinc & infinitis constant *Pulmones* vesiculis, quibus impletis, depletisque, elatis, ac subsidentibus cribratio, quassatio, comminutio obtingit transeuntium. Tot in circuitum commotiones, & concussiones nonnisi exaltandis & ad effervescendum concitandis *Pugilibus* inserviunt.

Cruor è dextro sinu Cordis prodiens vix genium suum immutasse deprehenditur. nec alius à venoso est, qui è vasis pulmonalibus educitur. Non ventilatus enim ille adeò, quam cribratus, & suas per particulas commistus est. Sic & è Sinistro mutatus qui prodit, non accensionem alienigenam, quam intimiorem particularum præsertim pugilicarum commissuram fatetur. Hinc in arteriis calidior, & mage rutilans: non quod à Corde fomitem, aut Spiritum adeò nactus, quam

quod in *Corde* à *Pugilibus* commotus & incalefactus fuerit. *Pugilum* enim exaltatio talem eum in arteriis promit perdurat *Efferveſcentia*, & vitalis micatio in iis.

Non tamen æſtus comminiſcendus, æmulus Spiritui vinoſo accenſo, aut oleo cocto, quem Sanguis à flammulâ accenſus hauſerit, & ob quem deflagrationis perpetuæ per arterias neceſſitas ſuboriatur. Conſtat enim vel generoſiſſimus Sanguis difficulter inflammabilibus compluribus particulis. reſiſtit ſubmixta aquoſitas. Crudus Chylus, merus perſæpè in Venæſectione viſendus, obnoxius flammæ eſſe nequit.

Flammulæ elevatio ſuper quaſpiam Sanguinis particulas, velut ſuper vini Spiritum accenſum, ſupprimeretur deſubitò. Quin noxia foret, & corpori nonnaturalis, nec unquam abſque notabili conſumptione. Quid ad rarefaciendum Sanguinem in ſcenam introducitur? non admodum ille rarefit in Corde, Subagitatio perpetua particularum illum liquefacit. Exemptus arteriis non detumeſcit refrigeratus,

tus, nec ſpatium minus occupat.

Accenſio nulla tanta eſſe poteſt, quæ ad occupandum majus ſpatium adigat. obſtat illi Cruoris Cor perpetuò tranſeuntis quantitas. Unciæ aliquot venæſectione emiſſæ, dum perſtat in reliquis venis circulatio, docent ſatis vel unciarum multò magis menſuram excedere, quod ejus Cor ſingulis pertranſit pulſibus. Jam autem per decurſum ejuſmodi copioſum, quomodo derelinqueretur accenſioni ſpatium? quomodo flammulæ ſuper liquorem evaganti? Quandoquidem tantum recipit quolibet pulſu Ventriculus uterque, quanto impletur cavitas omnis. docet id benè apertione arteriæ capillaris *Nedhammius*, dum computationem ab emiſſo ſingulis pulſibus Sanguine in univerſum facit.

Præterquam quod *Cor* hoſpitium nec tam diuturnum, nec tam intimum ac ſtabile præbeat, ut *flamma* communicari queat.

Nunc quoque ſin Aquatilia, Piſces, Ranas, & vivida animalcula reliqua ſubjungas, quibus actua-

lè frigus ineſt Cordi, quid tum de *flammulâ?* Exempto quoque Corde illa vigent; vix vaporem *Cor* & *Sanguis* eorum, dum eximuntur, exhibent: contrectata extra aquas frigus communicare ſolent. His ergò Sanguinis & Cordis motus abſque ullâ incaleſcentiâ. ut adeò ſat evincant ad vitam nullam *Flammulæ* inſitæ neceſſitatem.

Nec objice mihi, quod *Pugilum* concurſus etiam in his neceſſariò nullus, quia notabilem non procreet *Efferveſcentiam.* Neutiquam his aut deficit alteruter, aut uterque exaltationem neſcit in Corde ſatis habilem. Quin nequidem Spiritus Salinus incuſandus cum *Nedhammio*, aut abſentia Sulphurei. Salini enim genii nihil ſpirat Piſcis omnis, etiamſi marinus. Quod ſuppetit Aquatilibus *Alcali*, torpidioris eſt indolis, quam illud terreſtrium. Vix cum *acido* in Salem volatilem tranſire poteſt ob nimiam intermixtam aquoſitatem viſcoſam. Nec *efferveſcentiam* in concurſu adeò inſignem concitat, quia motus inſignis per minima partium ab eâdem ali-

quate-

quatenus cohibetur. Impetus sanè à centro ad circumferentiam, quo alias in actualem æstum perrumpunt, desit illis, licet sufficienti agitatione vibrentur. Lactescunt inde adeò pleraque *Piscium.*

Terrestribus autem nullum tale impedimentum ad æstum suscitandum. Nec obinde *Biolychnium* Cordi implantatum excellentius adserendum, quia nullum tale ullibi est originale.

Sola effervescendi principia *Pugiles* sunt. hi in puncto saliente stabiliti à Protoplaste. & isthuc saltem vadunt *Harvæanæ* Observationes. Præcedit commotio centri, quia in eo locati primo *Pugiles.* à protrusione horum fiunt rubicundæ lineolæ, quæ nullo Cordis comparente vestigio conspiciuntur in Ovo.

Sic satis multis evictum documentis, nec primum vivens, nec ultimum moriens reverà *Cor* esse: efficacissimè tamen in eo sibi combinari Pugiles: dextrum & lævum sinum hanc combinationem reciprocare: neutro tamen alveo Suc-

cendiculum Sanguinis recondi; sed perseverantiam Caloris à perseverante per Cor & canales varios commotione *Pugilum* dependere. Sanguinem vero confusa sibi circumgerere suscitabula, quorum virtute ille in substantiam floridam, rutilamque elevatur. His solis constanti satis circumgyratione eum urgeri, & instar atomorum in transennâ lucis variè permotorum quaquaversum distrahi.

Intestino scilicet *Pugilum* occursu luctam concitari, & quasi antipraxin, dum in sui unionem tendunt, limites ampliant, undulationem, & micationem efformant. In Sanguine ergò Vitam, motum, & calorem: auream hanc scaturiginem sedem Animæ, vitæque authorem esse: hanc ab Hydriâ de Fonte suscipi, & à Rotâ ex Cisternâ hauriri, sed nuspiam nisi per vitalia Principia, quæ sunt *Pugiles*.

PA-

PALÆPH.

Flammulam Cordi insitam, principium vitæ ac caloris, ac motus propugnat & stabilit acriter. Nec præsentes, nec tam efficaces agnoscit in Sanguine Pugiles.

Quæ mihi vitalia principia, quas obtrudis larvas? Quod *Hippocrati* θερμὸν ἔμφυτον, quæ aliis vitæ *flammula*, quique Naturæ ignis non cedit hisce tuis argutiis. Sinubus Cordis concluditur, ita ut reliquis ejus particulis non excludatur. Subjectum radicationis Cor totum est: è substantia enim Seminis per illius corpus mansit diffusus Spiritus ille igneus, ad vitæ finem perpetuans. Lucet quidem obscurè delitescens, & gliscens. nec hinc aperto, opus est, visatur corde. Tactu eum detegi sufficit.

Fons adeoque Caloris ibi est, ubi plurimum ejus tactu deprehenditur. Indè sanè nonnisi vitâ evanescente abit; contiuuatque, quia insitus, non adventitius. Quidni principium perseverans ibi, cui loco quo proximior Sanguis, eò mage calet? Sanguis sanè eo nonnisi adventitio gaudet;

det; hinc ad Cor toties reaſſumitur.

Rutilans ille, & quaſi noviter ignitus in Arteriis actuale ſuum ſuccendiculum digito quaſi monſtrat. Reverâ mixtura quæcumvis, aut particularum commiſſura ſiſtere eum talem non poſſet abſque acceſſu *Flammulæ*. Per hanc è Corde, tanquam è fonte fluit tam vividus. hoc veſtali igne ſervato, vel exſtincto, viget aut labaſcit ille.

Pugiles tui tam ordinatè, tam conſtanter, tam durabiliter nec ad motum, nec ad æſtum, nec ad vitam forent habiles, licet reverà in Sanguineâ exſtarent maſſâ. harum exaltatio, & vel efficaciſſima in *Corde* combinatio nonniſi turbulentum ſuſcitaret motum. Naturalis vitæ ſtatus durabiliori, certiori, & conſtantiori innititur principio; nec poteſt illud in contento reſidere.

Detraxit *Lowerius* Cani ſanguinem è jugulari, & crurali venæ infudit Cereviſiam vino mixtam per vices, & toties, ut non ſanguis ſed claretum quaſi efflueret. perſtitit tamen

men Cordi motus ac vita. Quid? Maſſa Sanguinis tot oleoſis, pinguibus diffluens particulis non conciperet æſtum, neu incandeſceret, niſi ſuis ſibi è partibus ſuppeteret fomitem? Vel quod aquoſitatis illi ineſt, ad *flammulæ* communionem eam redderet inhabilem? Latex ſeroſus ſub vini Spiritu accenſo perpendatur: quibuſdam particulis ſuſcipit inſtar olei *flammam*: nimium fervorem excludit ſaltem admixta aquoſitas.

Rarefactio conſequens ignitionem in Corde non tanta eſt, quæ detumefactionem viſibilem poſtea relinquat. Spatium in Cordis ſinubus nec tam anguſtum, quin aliqualem eam toleret. Ubi increſcit, Cor ſe contrahendo à rarefacto Cruore deliberat, & exonerat. Nec accenſioni ergò, nec rarefactioni obſtat tranſeuntis Sanguinis quantitas qualiſcumque.

Dimetiatur eam *Nedhammius*, prout volet, facilè conceptu tamen remanet Spatium communicandæ *Flammulæ*. Elevationis ejuſdem ſuper Cruorem ſub tam clauſo quaſi rever-

reverberio nulla necessitas. Sufficit enim intima communicatio, & productio per particulas. Opprimi autem *Flammula* nec spatii exclusione, nec ventilationis defectu potest, quod subita emissio Sanguinis & in Pulmones, & in arterias oppressioni medeatur. Recipiat *Cor* tantum Sanguinis, quantum cavitatis suæ parietibus concluserit; quin tantundem singulis emittat pulsibus, quid tum? num Carbone asservatus ignis saltem datur, qui in flammam subindè erumpit? purissimus autem, & subtilissimus ille quidni communicari posset absque fumo, qui solus liberiorem impedit motum, & ob quem minus surgit flammæ? aut obstaret communicationi illius quantitas intromissi Sanguinis, qui omninò habiliter eum imbibit?

Sufficit reverà exiguus locus, sufficit clausus actuali flammæ ejusmodi, ut à Sanguine concipiatur particulatim. Quin quoque exigua sufficit mora, præsertim toties interpolata, totiesque producta. Satis diutinum Hospitium Cor præbet,

bet, sin transitus per auriculas & ventriculos simul comprehendatur.

Aquatilia calore actuali destituta, Ranæ, Pisces, nil aliud docent, quam minimos sibi gradus hujus *ignis* in Corde suspensos. Quin adesse tamen, licet in actum terrestribus debitum non perrumpat, monstrat aliqualis calor, & consequens vapor ab exenterato eorum *Corde.* Minori quidem gradu Calor Sanguini communicatur, ut proinde Pulmonum spiraculis non indigeant, atque unicus Cordi saltem substet ventriculus. quod tamen adest minori gradu, adest. Agilitas & mobilitas ab animali vi profluens in Aquatilibus remissionem caloris, aut ignitionis neutiquam tollit. Quam tu cohibitam *Effervescentiam* in illis ab aquositate viscosâ incusas, *Flammulæ* ego inhibitionem meliori jure appellavero, utpote iis minus necessariæ.

Quid autem Principia *Effervescendi Pugiles* in Puncto saliente allegas, excluso *Biolychnio*? Fæcundo in Ovo colliquamentum candidum

primò

primò comparens eſt rudimentum *ignis.* abhinc Bullulæ albæ, dum in rubra abeunt puncta, *Cordis* & auriculæ ſpecie ſalientia oſtendunt quaſi per tenues pelliculas illud, quod ἀρχίγονον eſt. Effulget inde ſcintillula in Diaſtole, ſed diſparet ſub ſyſtole. Verum poſtquam parenchyma Cordi circumfuſum deſinit comparere. Neque ultrà licet, illæſâ flammâ, in Cordis inſpicere latebras, aut alienam adeò lucem excludere.

Cordi ergò implantatum ignem eſſe, pateſcit. per ſolidam illius ſubſtantiam ita diſperſum, ut coagulum per caſeos, & fermentum per panes *Hoffmannus* affirmat. Certum autem eſt, Spirituoſitatem igneam Cordi à primordio infuſam. hoc in calore vitam noſtram ſitam vel vulgus pronunciat: hunc omnia corporis deſiderant. ad *Efferveſcentiam*, & combinationem *Pugilum* deſcendere, abſonum hactenus. Succendiculum continuum in *Corde* invenit Sanguis: haud aliud illi ſuſcitabulum Caloris. è Corde, velut ignito fomite emanans aperta requirit ſpiracula, ne ſuffocetur.

Non

Non soli *Pugilum* miscellæ *Pulmones* adstituti. Commentum hoc Cerebri novaturientis merum est. Ab Aëre Sanguineæ massæ etiam emolumenta & subsidia quamplurima, quæ enumerare supersedeo.

NEOCHMI

Accensum Sanguinem ab aëre admisso non refrigerari, nec flammulam adeò in Corde ullam: Pugiles solos sat efficaces: Succum Alibilem in Sanguine & Sero latitantem ab his promoveri, dum acidum largitur consistentiam, & Salsum volatile ex copulâ utriusque innascitur, edisserit.

Nec opus, ut enumeres, cum *Aër* non inserviat *Flammulæ* eventilandæ. dum Pulmonum interstitiis immoratur Sanguis, *aër* ab altero saltem Vesicularum latere admissus inflat, angustat, & premit sinus, ut remittant in venam pulmonalem, Ventriculumque Cordis sinistrum Sanguinem; hic ideò contactum refrigeratorium non admittit, nisi vesicularum compages rumpatur.

Solummodò ergò *aër* Sanguinem ad pristinas circulationis leges reducit.

cit. hinc diminutum ejus motum restituit crebrum altumque ſuſpirium. *Flammulæ* compeſcendæ, quæ nulla eſt, non conducit. *Efferveſcentia Pugilum* in Sanguine tam immodica naturaliter non eſt, ut *aëris* refrigerio actuali indigeat. Nulla exſtat Fuliginum fabrica, quia nullum naturale empyreuma in Corde. nec digna reſumptione ſunt omnia, quæ *Flammæ* Cordis adſtituendæ allegas.

Sanguis reverà ſolus latex, & ſcaturigo Caloris eſt. Senſus ipſimet minorem hunc in Contento, quam continente deprehendunt. Proximior Cordi Sanguis mage calet, quia concurſum *Pugilum* recentiorem ſervat. nec arteriis ineſt quaſi noviter ignitus, ſed ſibi ad *efferveſcendum* noviter commiſſus. Nec è Corde, velut fonte caloris fluit, ſed arctiori & multiplici partium ſuarum concitabulo.

Veſtalem ignem aſſervatum quod ludas non miror: miror magis quod Phaëtontem Solis quadrigam moderantem non jungas. Tanto ſcilicet furiarum genere inquietat amor

vetuſti

vetusti erroris, ut fabulis non abstineat.

Sed Ordo, constantia, & durabilitas *Pugilibus* ad vitæ ac motus sustentamen submissis deficerent? Suggestio & combinatio eorum constanter & ordine sibi consequens propè Cor sic satis evicta est. *Chylus* perpetim confluens, submissa *Bilis*, ac *Lympha* ordinatim adsunt. Certius vitæ principium & stabilius dum exigis, nodum in scirpo quæris. Certius *flammula* insita non exhiberet, quod nec ad momentum sine pabulo advoluto subsistat. Et quid vitâ nostrâ instabilius?

Incongruè Spiritus vini accensus velut simile allegatur. nullus flammulæ modus ejusmodi tolerabilis: nulla rarefactionis indigentia. Potius particularum Sanguinis commissio in sui unionem, & condensationem adjunctorum tendit. Fictitium quoque spatium in Corde accensioni accommodum. dum effervescit Sanguis ab incitatis *Pugilibus*, turgescit, & intumescit quidem, sed quia expansioni nullum adeò spatium in Auriculis, & Cordis

dis Ventriculis, exturbat ſe hiſce doliis, & exceſſum invenit viis tam apertis. Concipiendo igni nulla mora, nullum ſpatium, nulla commoditas.

Quem *Aquatilibus* minorem caloris gradum adſtituis, cur non reduci is melius poſſet ad minorem Sanguinis *Efferveſcentiam*? Quod *Pulmonibus* nullis, & unico ſaltem conſtent Ventriculo, indicat *Efferveſcentiam* vitæ illorum non adeò debitam. Minor quippe neceſſitas æſtuationis adeſt.

Scintilla verò in Punctulis ſalientibus allegata merè imaginaria eſt. præſupponuntur *Pugiles* ſpirituoſi, velut impulſores. excurſu autem illos celerrimo ſcintillare quandoque, nihil miraculi infert. *Flammulæ* tamen illud Corde poſt concludendæ nullum eſt inditium. & in Semine, & in Sanguine *Pugiles*, ſed ibi volatiliores, ac ſpirituoſiores. nobiliori ſcilicet gradu, ſublimiori activitate, expeditiori mobilitate vitam, motum ac calorem illi cauſant.

Cæterum Sanguis virtute horum

ſolâ

solâ sui est multiplicativus. Chylus sive in Mesaraicis illi perfundatur, sive in axillaribus, necessum habet, horum experiatur efficaciam, illis *efferVescendo* in sui unionem tendentibus, opimiores expediuntur particulæ in Succum alibilem. Etiam ubicumque locorum *Hæmatosis* procedit. Sphæra activitatis extra Cordis claustra quoque perdurat *Pugilibus*. Lar vitalis exsurgit, ubi Chylus immolari occipit. diutina ac repetita mora efficaciam compensat. Tendit partibus suis oleosis in rubedinem Chylus ad *alcali* & *Acidi* exagitationes. Alibi introducitur albedo ab *acido*, ubi subjectum capax: Quoque purius ad ruborem induendum illud, & defæcatius, eò mage rutilum evadit.

Chylus, qui per hepar, impressum jam ruborem à Sanguine mutuârat. *Bilis* advoluta imprægnat *alcali* novo. *Chylus*, qui per lacteam procedit viam destinatus in Serum, rubedinem non adeò induit. diversitas ab ingestis dependet. ditescit vitalitate, ac spirituositate ad alendum requisitâ.

Suc-

Succus alibilis ex utroque pro diversâ passi dispositione. Neuter penum integro nutritionis muneri sufficientem continet. Crassamentum purpureum huic; Gelatina candicans illi adest. differentia sola ea, quæ albuminis in Ovo cum vitello. Coctile Serum enim ad Ovi duritiem, quum ejus cortice inclusum, albumen æquat. Et albugineus ergò hicce, & purpureus alter Succus per diversa loca alenda dispergi aptus natus, optatusque in alimentum. Utriusque Coagulum pro Certissimo alimenti signo & experimento adducit *Barbatus*.

Barbatus de Sero & Sanguine.

Verum enim verò certius & illustrius illud argumentum *acidi* præsentis est, quod exspirante *alcali* dominium affectat. Omne crassamentum derelictum hûc non facit, sed quod faciem glutinis, ac lentoris per se induit. Prædominabatur in vasis *alcali volatile*, characterem imprimebat vitalem, & fluorem procurabat. *Acidum* subjugatum subdebat saltem stabilimentum.

Extravasata Sanguinis massa, dum exspirat *alcali* spirituosum, *acido* dere-

derelicto, diversam suam habet texturam, & speciem. plus ejus autem Sero præfuerat, minus Sanguini: hinc ex eo præcedenter exspirat. *acidum* ab hospitio ergò Seri dilapsum, dum unionem affectat solennem, in Sanguinem transmigrat, ibique libertatem nactum remanet eminenter. Sic concrescit inde Sanguis, at Serum circumfluit, aut supernatat. Compingit autem Sanguinem, non Serum, quod in illum vigorosè transportatum liberiorem trahat moram. In Sero quicquid *acidi*, adeò aquositate delibutum est, ut vix exserat vires, nisi illâ exhalante. nec invenit etiam *alcali*, cujus ruat in amplexus, eòque compactionem, nonnisi exhalante aqueo, moliri potest.

Extravenata ergò massa vix aliquid constitutivi probat, ob transmigrationes *Pugilum*. ab *alcali* interitu subnascitur diversitas. Vultum Cruoris, & Seri mentitur, etiam quod vivorum non integrârat corpora. Recessit *alcali*, cujus in unitate vitæ custodia, ubi in vasis concretionem id impediverat, non Se-

ri dilutio. *Alcali* enim volatile, non fixum erat, cujus ea activitas. *Acidi* tantum naturaliter ſubeſt, quantum colligit, & continet, ne evaneſcat.

Sic mixtim concurrunt in Sanguineâ maſſâ *Pugiles*, dum obvolvuntur particulis aliis oleoſis, terreſtribus, aquoſis, viſcoſiſque. Nec moleſtant mutuâ contemperatione, niſi importuno imperio ſecernantur, & auſcultent omnia temperantia. Hinc anguſtiſſima Sanitatis puncta dependent, & ne aliquandò Morborum Vulcani fiant, vix præcaveri poteſt. Coagulatio, & coactio præternaturalis eſt à non naturaliter dominante *Acido*.

Salſedo volatilis verò etiam naturalis in particulis Sanguinis ſuboriunda ab immediato utriuſque *Pugilis* congreſſu. in totam ea maſſam extendi nequit, quia nulla totalis copula per particularum intercurſum contingit. Subnaſcitur nonniſi particulatim, & ſic utplurimum inglutitur reliquis, ut non ſenſibiliter, ſed occultim vadat, ac meet.

ita

ita eam possideri solummodò à Sanguinis massa, Recrementa etiam naturalia docent. *Sudor* hinc salsus plerumque, & quicquid exspirat, exhalatve corpore, aliquotæ salsedinis particeps manet. Quin *Urina* Sanorum non aliundè salsa; radicali scilicet *Pugilum*, licet inæquali permistione.

Cæterum *Spiritus Vitalis* è volatili *alcali* productus non illudit sub imagine salsæ exhalationis, licet Sanguini implantatus circumeat. Hunc quidem floridum, hunc rutilum reddit; huic vigorem imprimit; nullam tamen salsedinem post se trahit, quia *acidi* subjugati copulam indignatur, & rejectat.

Indolem illius mage æmulatur *Spiritus Sal. armoniaci*, quam *Vini.* Vasculo inditus vitreo, & Sanguis calens è venis vel arteriis Canis vivi exemptus experimento singulari id indicant. Sistitur quippè tam elegans inde colore ac consistentiâ Sanguis, necut vini Spiritus, nec alius quispiam eum talem producat. In fundum nonnisi pellucidum sedimentum instar Gelatinæ ribium di-

mittitur. Ipſemet Salis tartarei liquor turbidiorem efficit. Nimirum *alcalica* volatilitas Sanguinis & urinæ non ſibi abſimilis; hujus autem indolem ſpirat, qui *Sali armoniaco* eſt elicitus *Spiritus*.

PALÆPHAT.

Aëris introitum in Sanguineam maſſam neceſſarium judicat. Rejicit Pugiles, quod maſſam Sanguinis aliàs omninò Salſam redderent. Spiritus explicat.

Quaſi è tripode ſeriatim pronuncias, quæ nec ſibi, nec aliis cohærent. Sin ego ad omnia, ſtultior nunc ipſâ fuerim moriâ. *Aëris* tamen ſuſceptionem fruſtrà declinas cum *Nedhammio*. Altero Veſicularum Pulmonalium latere Sanguine pleno, nonniſi adverſo *Aërem* ſuſcipi, ut excludat interſtitiis conceptum, improbabile eſt. Quis aſſertor, interſtitia Veſicularum omnia tam ſanguine plena, ut nihil *aëris* ſimul tolerent? Hiant in ſeinvicem, & conſequenter ſibi patulæ ſunt, ut admittant & Sanguinis & *aëris* modicum. Ingreſſus *aër* non inſervit ſolæ Sanguinis remiſſioni in venam pul-

pulmonalem, nec mediato ſolo contactu refrigerat. Subſtantifica illius illatio eſt, & ab hâc ejus denegatione vitæ noxa, non adeò ſolâ interruptâ circulatione.

Quid ſi rutilus arterioſi color ab *aëre* ſolo pendere dicatur? Ab aëre admiſſo venoſus certè in ſuperficie coccineus eſt. Aëris contactu & immixtione immutari Sanguinem etiam *Walæus* deprehendit. Laxiora Pulmonum vaſa qui penetrat aër, ille Sanguinem in arteriis floridum reddit. Tranſpirante per habitum corporis aëre illo, redit obſcurior ſanguis in venis. Multis id experimentis comprobavit *LouWerius*, qui videri poteſt.

Verum allegata Experimenti Swammerdammiani violentia, & exindè rupta Veſicularum compages, ſicque vis illata Pulmonibus, nullius eſt ſuppondii. Nec enim tam violenta hæc inflatio, nec tam naturæ inſolens. quin rupturæ nullum uſpiam inditium, aut teſtimonium oculare. Sit mucus aſperam oblinens arteriam Pulmoni propugnaculum, quomodò tamen cohi-

beret totalem *aëris* ingressum? Quod Pisces concernit, illi nullum ab *aëre* refrigerium expostulant. Terrestrium *flammula* in accensionem prona supponit & requirit aliud.

Effervescentia autem absque Succendiculo constanti, ac perenni prorsus imaginaria est. *Pugiles*, quibus adeò ampullâris, meræ larvæ sunt. Sin insiti forent massæ, cur in extravenatam non se exserunt, aut ullatenus comparent, quum admovetur igni debito? Quî non effervescunt tum de solito? Immobilior glacie est Sanguis à Corde remotus; vel intra duas ligaturas in vasis ipsis deperdit commotionem, deficiente Cordis communione.

Deindè quur Massa Sanguinis semper & omninò in Salsedinem volatilem non transit? Concursus ille durabilis *Pugilum* quur compedes heterogeneos tandem non omninò abjicit? Unionem, quam tuo arbitratu tantopere affectant, quarè in totum non consequuntur? Efficacissimæ enim particulæ, & generosissimæ sunt, hinc omne fluentum salsum facile reddiderint. Tantum

tum id abeſt, ut vix quicquam ſalſedinis naturalis adſit.

Quam indextrè quoque ad *Spiritus* delaberis? Tenuior, ſubtilior, mobilior, volatilior portio Sanguinis, quo fluit, & incaleſcit ille, quoque orbatus cruor merus eſt, quam nudè concepta eſt à te? Comparamen inter hunc & *Spiritum Sal. armoniaci* quam inane? Quam ſuſpecta illa elegantia, ac floriditas calenti Sanguini ſuſcitata? quam improbabilis congruentia? Mirum! quod obalum ac limam *Ariſtarchi* non metuas.

NEOCHM.

Salſedinem volatilem ab unione Pugilum explicatius profert. Ex alcali volatili Spiritus vitales; ex acido Spiritus quoſdam acidos: illos dominari, hos ſuccumbere naturaliter confirmat.

Mirum magis, quod Ervum à Lupinis diſcernere nolis. Nec *aëris* Subſtantia Spiritibus fabricandis neceſſaria, nec Cordi communicabilis adeò, ut aſſeris. Suſtentando quinetiam igni nullâ digeſtione qualificari poteſt. Suppoſititius Ignis

non desiderat *aërem*, quo fruatur pabulo.

Multo satius sustinetur, crebro circuitu ac effervescibili motu generosas, activasque particulas in Sanguine exaltari, inque statum volatilitatis summum evehi, dum turgent, & urgent. In extravenato Sanguine frustrà exspectas ab externo ignis regimine hos effervescendi motus; deperdita & exhalans activitas ab igne, neutiquam ab igne resuscitabilis. Nequidem intrà duas ligaturas perpetuat, quod sanè inditium est interclusarum partium commoventium, non aliundè commotarum.

Unio *Pugilum* autem nec immediata ubivis, nec in Sanguine universalis, ut inde totus *Salsedine* volatili necessariò imbuatur. Particularum licet minus activarum, quantitate tamen exsuperantium aliarum moles interjacet, & unionem omnimodam impedit. Ubi & quando obtingit, ibi & tum *Salsedo* profunditur.

Non ea enim prorsus aliena vel *Sanguini*, vel *Sero*: omnem tamen massam

maſſam haud inficit. quin latet per alienam miſcellam abſcondita, quamquam ſapore aliquando detegi queat. elici per ignem poteſt, verum tum maximè generatur, quatenus ignis, abſumptis compedibus, unionem immediatam *Pugilum* confert. Excretis ſemper indominatur abundè, nec uſpiam fermè excludi ſolet. Sic ergò *Salſum Volatile* è concubitu *Pugilum* prognaſcitur.

Alcali tamen ſemper efficacius immanet, & ad ſtatum ſummæ volatilitatis paulatim devehitur. *Acidum* huic impar & ſubjugatum manet naturaliter. quinetſi ſpirituaſcat, nullo tamen gradu *alcalicos* ſubſequitur *Spiritus*. illi etenim plenioris genii & dominatus inſunt. Subtiliſſimum ſanguinis florem conſtituunt, nobiliſſimum vitæ ſatellitium præbent. in promotione Sanguinis naturali Choream ducunt ſublimem; ab his volatile omne moderamen, & agile fixarum particularum elevamen prodit; his enim quicquid particularum reliquarum, ſubmiſſum eſt.

Oleoſum & pingue fomitem *Suc-*

ci alibilis continens, & Saburatam rubedinem ſubſternens horum ſubit directorium. Terreſtre, quod dilargitur inſpiſſamentum; Aquoſum, quod ſuppeditat fluorem, & quicquid ultrà *Chylus* vel Sanguis agnoſcit, ſubit. Uber ille penus, & vectigalis rivulus quamcumque congeriem mixturâ convenienti compactam continet: Heterogeneitas omnis ab aſſumptorum varietate variabilis, quibuſcumque vocabulis pro captu diverſorum effertur, ad horum incedit normam. Solorum enim *Pugilum* regimini ſubjiciuntur omnia.

PALÆPH.

Indignatur examine ulteriori prolata.

Nimirum ſoli tui *Pugiles* omnem fabulæ mimum componunt. his in theatrum productis immorandum, quin immoriendum vis. Ex inſignem mentis tuæ incapacitatem! Sunt modò Spiritus, modò Liquores, modò ſolida corpuſcula. Ubique ſunt, & nuſquam tamen comparent. Mox in Salem tranſierunt volatilem, mox in fixum; nunc ſalina exſtant principia ſeorſim, nunc unio-

unionem assequuntur. Nempe *Ovidianæ Metamorphoseos* mihi modos memoras, quid ego amplius eos ad feveriorem exigerem normam?

NEOCHM.

Ab alcali volatili Spiritus animales in Cerebro produci contendit, quorum reliquiæ cum recollecto acido à Glandulis compingantur in Lympham.

Injustus æstimator rerum es naturalium; optimæ quæque apud te pretium suum amisêre. Num adeò absurdum est, quod protuli? Flos Sanguinis subtilis, cui Spirituum volatilitas debetur, nonnisi ad *alcali* volatile determinari potest, quoniam spirituosa hæc substantia inde pendet, unde vita, ac motus. nec alia illi materies sufficienda, quam quæ actuosam maximè spirat indolem. Sed hujusmodi sola est *alcali volatile.*

Hoc sub reliquorum in Sanguine auctario adpellit sursum, & per Arteriolas in *Cerebri*, *Cerebellique* corticem cinereum defertur. Hoc inibi à Sanguine secretum, compedibusque suis deliberatum rectificatur

in Simplicissimum, ac purissimum *Spiritum animalem.* Albicans *Cerebri* substantia huic hospitium præbet. Gryseus color illius præterlapsum indicat Sanguinem, colique modum. nam Naturæ solertiam ars rectificandi exquisitissima non assequitur: nec pellicanatio potest paria.

Delicatus ergò adeò exsurgit hinc *Spiritus animalis* in Cerebro, quatenus *alcali* volatile è Sanguine prolectum sublimatur, & rectificatur. inde perennis ille manat fons: inde viva & jugis per Nervos scaturigo, inque universum corpus dispensatio, functionibus animalibus obeundis sufficiens. Ab *alcali* nimirum eatenus exaltato opus omne animalitatis proficiscitur, velut instrumento *Animæ.*

Hôc verò è Sanguine per Cerebrum prolecto, in parte aquosiore restitante *Acidum* manet, illique indominatur vi coagulatoriâ quâcumvis occasione exserendâ. Hinc prognascitur Pituitosus liquor sub tenui Meninge, qui sensim ad Ventriculos, & indè per Infundibulum ad Glan-

Glandulam prolabitur pituitariam; unde vel ad Nares, vel ad uvulam. Vulgaris id notitiæ eſt, nec ulteriori jam indagine meo indiget. Quos inibi ſuſcitet tumultus *acidum* vel ſolum, vel in ſalſedinem tranſitorium, ubi præternaturale, ſuo veniet loco.

Cæterum *Alcali* novâ in Cerebro laureâ coronatum per habitum divagatur corporis uſque ad virium exhauſtum. Tandem ſtrenuitate ſuâ exutum paulatim in vaporoſam abit reliquam. Videas ita in Alembico Spiritus ſtrioſos in aquam reſolutos: videas in feneſtris halitus calidos in guttulas condenſatos. Ad appulſum quoque Menbranarum ita Spirituoſum *alcali* in aquoſum faceſcere nil abſurdi involvit. Pleramque hanc aquoſitatem & à muſculis, & à menbranis hinc inde diſpoſitæ *Glandulæ* excipiunt.

Nimirum *Glandulæ* majuſculæ per omnia corporis fermè viſui comparent. Quin minutiſſimæ magno numero ſub cute per Microſcopium detegendæ. omnes inſorbendis reliquiis *alcalicis*, & compingendo

Spi-

Spiritui acido cum Aquositate superfluâ destinatæ. Conficiunt scilicet rorulentum & aquosum laticem ex collectaneis, qui *Lymphæ* nomine per sua propria vasa refluit ad Truncum, refundendus Sanguini, depauperatum in eo *alcali*, velut iners vappa, succumbit.

Acidus Spiritus ex arteriis recollectus, licet exundanti aquositati immergatur, sibi tamen paulò magis constat. Arteriæ enim illum pleniori vi subdunt, utpotè recens effervefactum. *Glandulæ* quoque temperatum colligunt naturaliter. Ubi ejus invalescit intemperies, varii suboriuntur Affectus. E Sero autem hujus *acidi* plurimum, quod per *Glandulas* in *Lymphæ* materiam facescit. Seri enim domicilio maximè gaudet, sicut hospitio Sanguinis *alcali*: Sed id affatim alias.

PALÆPHAT.

Nec alcali volatile in Spiritus vel vitales, vel animales facescens agnoscit, nec Lympham ex compactione ejus cum acido commentitio tolerat.

Instar umbræ mihi omnia hæc; nullam vetant noctem. Subtilissima

Sangui-

Sanguinis portio nomine vitalis Spiritus veniat ſola oportet. Nec illa Sali, nec Salino ullo principio genium ſuum debet. Hæc in Cerebrum ſublata exquiſitè elaboratur, vel prout mavis, rectificatur in *Spiritum animalem*, qui per Nervos omnes manat, ac opus animalitatis univerſum complet.

Reſiduus ab vario uſu non mage cum Lymphâ, quam cum Sanguine ſubit vaſa, remeatque. Quid ergò *alcali* volatile crepas nunc ſpirituoſum, nunc aquoſum? Sin Glandulæ illud cum *acido* rurſus in aquoſum compingunt Laticem, quarè non merè ſalſus ille manat? Vel ſin *acidum* prævaleat depauperato *alcali*, quarè non *acidus* omnis ille liquor? Nimirum cum Senſibus ac ipſâ ratione pugnas, quis non indignaretur?

NEOCHM.

Spiritus & vitales & animales reverà ex alcali producibiles autumat: Acidum cum Sanguine inferri Lieni, ibique à Spiritu animali temperari, ac domari: nec in liene aliud quicquam peragi aſſerit.

Jam

Jam pluries cum *Hippocrate* reposui, mixta per mutuam contemperationem non sentiri, sed secreta ab aliis prodi effectibus: hinc in vituperio poni τὰ ἄκρητα. *Pugiles* comparere saltem non occultatos, alias obnubilari heterogeneis; quin prævalere sibi invicem, aliasque in salsedinem transire, ubi peregrinos deseruerint socios.

Evadere *alcali* Spirituosum & post aquosum quis dubitet, cui arcana Naturæ & Artis percognita? *Spiritus volatilis oleosus* à solerte Artificis manu productus istûc facit. *Aqua vitæ* in Spiritum protinus migrans vitalem ad promptissimam virium refectionem illud infert. *Spiritus vini* rectificatus vitalem ac animalem restaurans non minus quadrat. Nec restitat scrupulus curiosulo? vocites *alcali* Sanguinis, subtilissimam illius portionem. Spiritus vitalis haud sanè alius, nec animalis aliundè exaltatur.

Hujus acumen spirituosum, hujus volatilis subtilitas cur non deficeret, & consumi posset, reliquiis in aquositatem facescentibus? Naturæ

turæ & Arti solennius nihil. frustrà totus forem, sin similia omnia allegarem.

Sanguinea massa etiam nunc introspecta ulterius lucem clarissimam dabit: non per instabiles hypotheses de *Humorum* Quaternione, alienâque inhospitantium mixturâ sed per *Pugilum* inexistentiam jamdudum evictam. Hi scilicet per motum & effervescentiam volatiliores impraegnant eam. Dominium autem ab *alcali* naturale est, & constans, quandoquidem indè maximus vigor.

Acidi subjugati interim inquies ea est, ut particulatim vires sumat. Quandoque ergò sine modo habitaculis increscit, quin in symbolum cogit suum reliqua congenea. Sic vigorosè transportatum jugum amicæ copulæ exuere tentat. Ab hujus complexu ne nimium obruatur Sanguinea Massa, *Liene* provisum & cautum est.

Ubi luxuriat, & sylvestre evadit in Arteriis, deportatur per eas ad *Lienem.* inibi *Spiritus animalis*, tanquam volatilis *alcalicus* summè efficax

efficax per Nervos advectus illud compeſcit, cicurat, in gyrum cogit, & temperat. Teſtantur *Spiritum animalem* confertiſſimum plexus nervoſi, & fibroſæ inde texturæ conſitiſſimæ. *Acidum* cum Sanguine ſupereminens aut redundans ſiſtunt Arteriæ. πνδ-μάτωςις inſpirata *alcalica* ejus depreſſionem ſtrenuè molitur. novis enim ſupplementis invaleſcit *alcali*; vigor novus, acumen ſingulare, perfectio non minima à mixturâ *ſpirituum animalium* deſcendit. exemptâ ſegnitie, activitas increſcit major. *Acidum* per *Lienem* lacunatum ac reconditum ſuo ſic exuitur vigore.

Lien enim meta eſt*, ubi *Spiritus animalis* ad ſuam relabitur matrem; eamque ſuſtentat, à qua originem ſumpſerat. Nec enim ſenſui, nec motui inſervit ibi: Sed velut in rete quopiam mirabili, cum quo *Lièn* comparabile, *alcali* circulatur, ut eò promptius ſuperimbuat ſanguinem, ac ſuperincumbat *Acido*. Sic vigor, robur, alacritas, & Spirituoſitas per *Lienem*. hæc illa vis fermentiſcibilis, qua de prædicatur.

Nullum

Nullum illi exportatorium vas aliud, quam venosum & Lymphaticum. hoc suscipit Lympham, illud excipit sanguinem. nulla illi cavitas, nullum vas secretorium. nihil illi inest superfluum, inutile, crassum, aut terrestre. exulat omnis fæculentia.

Solus Sanguis, qualis cum *Acido* per arterias venit, inlacunatur ejus porulis, imbibitur fluxili ac spongiosa carne, sicque à spiritu animali exaltatur. hic enim ille solus, qui fermenti subtilis ac acuti opem fert. hinc per *Lienem* valentem mentis acumen, & sagacitas.

Ubi deficit hæc generosa permixtio, in toto redundant inditia; pallor, faciei color plumbeus, tristitia, metus, &c. Equidem spirituoso *alcali* paulatim exacto, *acidum* in Sanguine sylvestre evadit; quin ut scoriæ Melancholicæ succrescant, efficit. Non est *Melancholia*, nisi fixum & sylvestre nimis *Acidum* Sanguini indominans. huic solenniter cicurando ubi deficit *Lien*, *Sero* ac *Lymphæ* maximè compar *acidum* evadit. Hinc Lienosi

Sali-

Salivatores, nocturnique Sudatores: quinimò hinc *Lien Hippocrati* fons ὕδατος. Sed de his alias.

PALÆPHAT.

Officium Lienis ad fermentum Sanguini suppeditandum restringit.

Jam à *Spiritu animali* relaberis ad *Lienem*, & hoc spiritu illo copioso perfusum ad *Pugilicum* restringis concursum. Intolerabilis ergò, quod fictitium tuum *alcali* subdas in materiam *Spiritui animali*, & *Lienis* actum laboratorium per hoc determines.

Confert perfectæ Sanguinis digestioni *Lien.* hujus fermento spirituoso ille terrestrior, fixior, austerior, acerbior imbuitur, digeritur, exaltatur, volatilizatur, inque motum & actum vegetum vendicatur. Quin ideò nerveos illos plexus, & fibrarum satellitium obtinuit. illius quoque defectu scoriæ Melancholicæ redundantes, & acidæ, austeræ, acerbæ fœculentiæ plurima ingerunt corpori mala. Quinimò Sanguis tum robore, vigore, alacritate, & generositate depauperatur. Frustrà tu ad *Pugilicum* id dominium trahis.

Non

Non *acidum* in Sanguine solum est, cui demoliendo, ac supplantando sufficiuntur *alcalica* per *Lienem* supplementa, qualiter vocas *Spiritus animales.* inanis illa tua conjectura est. dictatorium in morem id explicas absque liquida rei veritate. Ubi perpetuum *acidum* uspiam corpori? Quod particulatim in Sanguine succrescit *acidum*, austerum,acerbum id tuone *pugili* congrueret? Mirificis implicare destinas nugis, quæ aliis sat expedita.

NEOCHM.

Acidum nimium succrescere, & Liene emendari pluribus urget. Quicquid humorum aliorum, id omne à Pugilum accessu vel recessu modificari monstrat.

Quasi nimirum parum fuerit,quod *acidi* præsentiam ad nauseam inculcaverim, & quod austerum, acerbumque superaddis, ab eo fixo determinaverim. *Acidum* reverà cum Sanguine ac Lymphâ cordis transire latera, & per arterias stabile iter conficere quid opus pluribus? Non adeò sanè semper per cuniculos vadit, latici aquoso immersum, & à volati-

volatilitate *alcalicâ* depreſſum, quin exſurgat ſubindè his illiſve particulis, ut & in ſenſus incurrat. hinc cogere & coagulare ſæpiſſimè deprehenditur.

Verum hoſtile tum, ſylveſtre, ac peregrinum nimis eſt; velut hanc degenerationem manifeſtæ per invaletudinem vires ſufficienter monſtrant. Sic ſanè ergò exaltari, ſic remitti poteſt, & infinitis id argumentis illuſtratoriis artificia docent Chymica.

Spiritus autem *acidus* in corpore non illi quadrat, qui per violentum ignem recrementis eſt expromptus metallicis. Saltem analogica collatio admittenda, quando exutus temperie, ac indebito redditus eſt vigori. Sic vi manifeſtè corroſivâ præter naturam in perplurimis ſe prodidit multoties. Sed his alias dabitur locus. Hunc autem ne furorem ſubeat, tam hoſtilis, & ſylveſtris ne evadat, abunde à Naturâ præcautum eſt.

Luxurianti *Acido* in Sanguine contubernium *Spirituum animalium* ſubditur per *Lienem*, ut hôc velut *alcali*

cali novo amicabile rurſus illi jugum exſurgat. In porulis, exiguiſque lacunis mixtura abſque tumultu procedit, & motus omnis inteſtinus imperceptibilis eſt.

Fruſtrà in Liene concipis fæculentias, Scorias, aut *Melancholiæ* veteris ſcemata. nullus ibi vaſtus aut capax alveus eſt. Nulla è Sanguine fœculentia. nil ſub perpetuo, ac in orbem redeunte motu ſubſidere poteſt. nec cavitas, nec ductus ulli in *Liene* congeſtionem poſſibilem monſtrant. Fontem Fermenti eminentem deſignant ſaltem plexus nervei; & Character *Melancholiæ* jam à tot ævis receptus infinitis contrariis dirui poteſt. Nec ego hoc nunc ſaxum volvere deſtino.

Saltem ſi quid *Succi Melancholici* ſuccreſcit animato corpori, id degeneris *acidi* ſpirat indolem ponticam. In tantum ille eſt, in quantum illud ſeparatim ac præcellenter ſe exacuit, & offert.

Et quod *Atrabilarii humoris* nomine audit paſſim, id præternaturalis illius *acidi* cum *Bile* excedente copulam exprimit ſolidè. Nec aliunde

de excretiones illæ atræ, virides, variæ, quæ *acidum* ſingulatim ſpirant. Laſcivia ſane *Acidi*, & virium illius palma proditur, ut id alias pluribus veniet.

Jam verò *Pituita* quid aliud, quam *Lympha* per *acidi* exceſſum craſſefacta, aut *Saliva* in eam permutata? Nec enim ſubnaſcitur cruditatis illa ſoboles, niſi quando ab *acido* coagulum traxerit. Quid quod nequidem *Blenna* aut *Mucus* alienam deſignent indolem? Nam quicquid ſalſæ ſeroſitatis exſtat, copulam *Pugilum* immediatam id agnoſcere, certum eſt. Nequidem ſalſedo ulla contrahitur, ubi non ſine mediis multiformis illa commixtio. Sic variat ſortes Humorum varietas pugilicæ permixtionis, & ab acceſſu vel receſſu omnis eorum immutatio eſt.

PALÆPH.

Meras & inutiles rejicit Hypotheſes de Sanguine, & Humoribus. Exemplo corrupti & verminoſi Sanguinis ſtatutum rejicit pugilicum.

Extremum dementiæ ſignum jam datum eſt, quod ſubvehâris ab illis,

quæ

quæ nec probabilia ullatenus, nec demonstrabilia sunt. Ubi sempiternum ac naturale animato corpori *Acidum?* Ubi *alcali* quod spirituascere, ac dominari asseris, exhibitum? Horum existentia quum maneat improbabilis, quid solidi ergò his superstrui possit?

Argutiæ analogicæ ab arte Chymicâ depromptæ nil inferunt. nequidem illustrant benè, suppositâ absque ullâ veritatis ἀκριβεία. Et quæ sequelæ necessitas à præternaturali quopiam *Humorum* statu ad naturalem?

Lienem suppeditare spirituosum Sanguini fermentum largior, ac pleno ore profiteor. Quæ verò de *Pugilum* concursu commenta superaddis, absona sunt, & tuam inanem sapiunt hypothesin. Quid eâdem ubivis obhæres Chordâ tanto cum audientis tædio.

Quid omnia *Humorum* momenta frivolè à *Pugilibus* determinas? Fateor illud Elementorum genus, quod animantibus proprium, *Humorem* esse: Et congenitum, & congenerantem solum esse *Sanguinem*:

nem: Hôc intumeſcere venas, palpitare arterias, irrigari partes, acetabula repleri, & turgere cavitates. Varium hujus complexum degenerem illius ſobolem ad variandum corporis ſtatum concipio. Sed terminos illi nolim figi à *Pugilibus* tuis, aut cenſum tam arctum iniri. Nequidem ulla *Humorum* ab eo dependentium varietas ſtrictis adeo includi cancellis poteſt.

Sit *Pituita* quandoque ſalſa, quandoque acida, ſit *Melancholia* ab *acido* non aliena, ſint alii ſucci hujus vel illius pugilicæ indolis feraces: conceſſo certo omnium tali ambitu, conſideratâ hunc in modum *Salſedine* ab aliquo humore adoptatâ, numnam id exhaurit reſpectus reliquos? Nimis jejunè ac parcè Naturæ ac Arti diſtribuis ſua munera.

Corruptioni ac Putredini quidem nullos derelinquis aditus, quandoquidem in tantum huic obſtant pugilica tua concepta. Quid enim fiet Verminoſo miaſmati, & pullagini Sanguinis animatæ per Miſcroſcopium detectæ, quâ de *Kircherus*, alii-

aliique? Quid corruptibilium diversitati tantæ, ac animalculorum discrepantiæ miræ, quam dioptrica detexit? Tune vitam omnium, quibus vix vitam credidisses, ad commixtionem, motum, recessum, accessumve *Pugilum* restringes? in tantum torporem lenta tibi præcordia obriguêre, ut ultrà *Pugiles* nil prospicias?

Ergone quum in Macrocosmo è bobus apes, è fimo scarabæi, è ligno aquoso millepedes, è lecto cymices, è fornacum limo grylli, è pellibus blattæ, è frumento gurguliones, è fabis mydæ, è lanâ tineæ, è caseo, & cujuslibet plantæ speciali muco speciales vermiculi procedunt, & quum in Microcosmo tot vermiculi, Lumbrici, & quicquid vitæ mirabilis participium prodit, exstent, *Pugilibus* solis inhærendum? Verum quur istuc delabor? jam nimium satis aures tibi præbui, & vel temporis illius jacturam deploro, quæ insumpta est.

Humores potissimum disterminari à permixtione Pugilum: nec Putredine, nec Verminatione eos excludi: Sanguinis animatam aut verminosam pullaginem rarissimam & utplurimum fictitiam esse contendit, & ne tadio sit, finem respicit.

Nimis iniquo ac commoto declinas litem hanc animo. Sanguini, ac *Humoribus* è mixturâ *Pugilum* reverâ exsurgit sua discrepantia. Quid singulatim id jam explanem, quum tædium prædictorum obtendas? dudum est, quod inculcaverim, non solos *Pugiles* esse, licet principales, qui ingrediuntur mixturam rerum omnium, adeoque etiam *Humorum*: Particulas varias alias simul compingi, aquosas, terrestres, viscosas, oleosas; quas omnes tamen congerie suâ multiplici, & energeiâ inenarrabili dirigant illi, licet ad sensum obliterati delitescant. Nec arctus hic ullatenus est *Naturæ*, & *Artis* complexus.

Ipsa *Putredo* haud aliam commotionem accusat, quam Pugilicam.

Unius

Unius *pugilis* post alterum recessus per ipsam etiam sensibus est manifestus. Nec est, quod *miasma Verminosum*, ac Pullaginem animatam tam discrepantem prætendas. Non procedit vita ullibi, absque commotione *Pugilum*. Analogum id, quod in Vermibus, ac Insectis Sanguini, eos concludit. Nec seminium ullum putredinale datur, quod recuset eorum complexum: istac tamen temperie, isthôc moderamine indicibili, ac vix comprehensibili, quem proportio debita cuivis desiderat, exstant.

Animam jam sileo, & tantum vitæ ambitum, quo nihil non vivit. Mortem nullam rei nullius non contendo. Nobiliores ac ignobiliores vitæ gradus non determino. Vitam primam, mediam, ultimam, decidentem, resurgentem cum *Kergero* non astruo. Silui hæc inter Mineralia, & Vegetabilia: gordium hunc nodum declinavi de incrementis, ac decrementis Metallifodinarum, de Plantarum resurrectionibus, èque Salibus suis repullulationibus.

Principia quoque vitalia, & varia vitæ ſuſcitabula in animali regno indagare ſuperſedeo. Poſſem alias docere *Pugiles* & allegare in Seminio putredinali; in ſpecificis excrementis; in motu diſſectorum animalium; in Capillorum incremento & in caneſcentia in demortuis; in Cadaverum cruentatione; in Oſtreis converſis in Salem, inque mari reſoboleſcentibus; in contritis conchyliis diſſeminatis in ripâ, ac reproductis; in Serpentibus ſepultis, & quaſi ſeminarium novorum ſuccreſcentibus; in Erucis ſuam ſpeciem reproducentibus; in cancrorum cinere aquæ commiſſo, & in eoſdem redeunte; & infinitis in aliis. Poſſem omnibus hiſce ſtabilire *Pugiles*, & de ponte dejicere, quæcumque contrariantur. Poſſem nimis grande illud poſtulatum de *Spiritu univerſi* peſſumdare.

Quid tu autem nunc ſolam σκωληκοτοκίαν urges? Quaſi nimirum ad eam in Sanguine, Lacte, reliquisque corporis animati partibus per Microſcopium deprehenſam nullus foret vel eſſe poſſet concurſus *Pugilum.*

gilum. Principio fanè ea res tibi certius exploranda fuiffet. Verminofam Sanguinis progeniem tam indubiam effe putas? Inter rariffima ut eam vix tolerem plurima fanè fuadent. Microfcopium Vermes plerumque falsò repræfentat, quum res exiles grandefacit. Vitrum intercedens faciem Vermium exhibere poteft, ubi reverà nulli. Ipfimet *Pugiles*, ubi in fuperficie Sanguinis extravenati ac refrigerati volatilitatem falinam trahunt, variis fubduntur figuris, quibus vermiculos falfo depingunt. Imaginarius inde, quafi fpontaneus viventium motus exoritur: acfi videas nitidiffimum fuper fpeculum cyrones. haudquaquam inde præfens aut frequens verminatio Sanguinis concludenda.

Sit fanguis Febrientium, aut Peftiferorum, aut malignè decumbentium; nihil in univerfum infert. Quodque Cutis, velut excrementorum conceptaculum recipit, non recipit Sanguis circulandus. Quæ puftulis exftillant apertis, inibi generantur. Mirum quod jam adeo credulus fis ad Pugilicum ftatutum

ſubruendum. Cur non etiam Sanguinem aquâ tepidâ elutum, & in maſſam carneam compreſſum ſimul animatum reddi contendis? Cur Phantaſmata illa *Borelli*, & *Flud* Angli, tam futilia & incredibilia non ſuperaddis. Salinis illa principiis non minus nocerent, quam verminoſa progenies in Sanguine.

Sanguini unde vita, unde motus niſi à *Pugilibus*? Nullibi Anima his abſque inſtrumentis. Non aliunde calor, niſi his æſtuantibus. Sed reprimo me, ita tibi quandoquidem viſum eſt. Cum tædio tui hâc amplius nunc oberrare Chordâ nolo. Inſtar ægri te habeam neceſſum eſt, qui ad viſum amplæ nauſeat ampullæ: Granulatim ac Granatim ſanandus es, non horreo toto, ſic ſpondebis libentius congreſſum brevi alium, quo prædicta ad Medicum tranſtulero forum.

Inæſtimabilis enim inde utilitas tam *Pathologicis*, quam *Therapeuticis* debita, indefeſſo excipienda Cerebro. Tuæ tum te mage ſpontis fore ſpero, nec ab amore Vetuſtatis ultrà impotentem. Initiatus nunc prædictis,

dictis, lucem ac solem hilarius excipies. Morosus in vestibulo quidem, posteà minus eris. In exemplum traho *Sanguinis Circulationem*, quam prout difficulter prius admissam, sic nunc velut canariensi saccharo incrustatam vertis suaviter ore tuo. Eandem sortem *Pugilibus*, *alcali* & *acido* auguror & voveo.

Nec dicas, è vitioso semente parum laudabiles exspectandos fructus; vel ab exordiis corruptis lapsus in prærupta à veritate præcipitia consequuturos. Cogita potius, sobriè etiam in altioris indaginis usum assumi debere, quæ abstrusioris indolis primo intuitu videntur, quorumque in rigore demonstrationes frustrà desideraveris. Nulla enim cujuscumque noctis ea immanitas, quæ non suum patiatur diluculum. Quin igitur epulas omnes, quas novissimè apposui, prægustato benè; nec corruptis adeò vive sensibus, ut antequam benè gustaveris, rejicias. Id sin proximo alloquio consequutus fuero, multum profecero. Quin in hôc solo nunc omine finio.

PALÆPH.

Concludit, & spondet brevi annectenda ulteriora Practica Medica.


Quid lædit, *ait ille*, ſin omnes in te ſibilent, modò tute tibi applaudas? Sculptum adeò animum meum, ac tuum velles, ut fucis, qui ætatem videre nequeunt, capi poſſet. Tantus ſcilicet *Phæbus* mihi *Parnaſſum* ſuum lubenter donaret. Confuſis humoribus, admirabili rerum omnium varietate ad eandem cohibitâ menſuram, Veterum luce derelictâ in extremas ire me tenebras expetis. Congreſſum quidem proximè non abnuerem, modò hariolari poſſem eam, quam venditas, utilitatem medicam.

Circulatio Sanguinis, cum cæteris veriſſimè inventis documento certè fuit, immotæ me non eſſe mentis. *Sanguis* intra proprios corporis ſui lares circulans, & extrà corporis ambitum ad ſalutem alterius tranſlatus, quin dextrè ex uno Animali in aliud tranſfuſus præ oculis eſt. Verum nec *alcali*, nec *acidum* iſthoc demonſtraſti modo.

Nihilominus occaſione proximâ non

non detrecto congressum, quò morosus esse tuo judicio desinam, & audiam utilitates Medico Practicas, quas venditas. Sis modo memor veri. Vel saltem ab omni probabilitate te non retrahat animus tam novandi cupidus. Et hoc votum, & omen mihi nunc sufficit.

FINIS.



ER-

E R R A T A,

Quæ per abſentiam Authoris irrepſêre, potiſſimum ſequentia ſunt:

Pag. 24. *l.* 1. *lege ipſamet.*
p. 29. *l.* 7. *lege relollacea.*
p. 45. *l.* 29. *lege temperata.*
p. 95. *l.* 1. *lege ſoboles.*
p. 109. *l.* 12. *lege ſolutus.*
p. 112. *l.* 20. *lege collectorum.*
p. 118. *l.* 19. *lege te.*
p. 127. *l.* 17. *lege cluet.*
p. 129. *l.* 3. *lege lixivum.*
p. 161. *l.* 10. *lege rugis.*
p. 163. *l.* 26. *lege alcalicam.*
p. 176. *l.* 15. *lege fini tam.*
p. 185. *l.* 25. *adde in inteſtino.*
p. 190. *l.* 23. *lege grumeſceret.*
p. 190. *l.* 26. *lege alcalici.*
p. 199. *lin. ultimâ, lege Gelatina.*
p. 206. *l. ultimâ, lege* μίξος.



